ANTONII CERRVTI
Nouarienſis Carminum libri quattuor:

PRIMVS AD CHRISTOPHORVM Madrucium Cardinalem Tridentinum:
Secundus ad Philippum Caroli Cæſaris filium:
Tertius ad Franciſcum Mendocium Cardinale:
Quartus ad Gui. Vbaldum Vrbini Ducem.




Cum Priuilegijs Pont. Max. Auguſti Cæſaris, Senatus Veneti, & aliorum principum.

VENETIIS, M. D. L.


INDEX ET ARGVMENTVM
Librorum.



* ij



Ex libro tertio.



ANTONII CERRVTI NOVARIENſis Carminum Liber Primus.

DONAT LIBRVM CHRISTOPHO. MADRVCIO CARDINALI ſaturnalitijs diebus.

Ode dicolos diſtrophos.



Aturnalitijs fuit
  Feſtis mos ueterum mune=ra mittere
Charis grata ſodalibus.
  Si qs diues erat dona rigētia
Auro, uel ſolido dabat
  Argento, aut Tyrio murice fulgidam
Veſtem, aut uaſa corinthia.
  Sed qui muneribus non poterat uices
Aequare eximijs: librum
  Ornatum minio, et pumice concauo
Donabat: neque munera
  His tam grata dari tunc poterant: neque
Tam magna: hi legere omnia
  Cogebantur: eratq; inuiolabilis
Lex ſemper ſacra myſtica
  Saturni ueteris concelebrantibus.
Optantes agere hos dies

(Vllo qui nequeunt tempore dignius
A nobis celebrarier
Quàm aduentu geniti à Cæsare maximo,
Qui secum aurea secula
Aduexit populis armipotentibus
Afflictæ Ausoniæ) tibi
Saturnalitio iure dicauimus
Hæc festiua poemata,
Quæ etsi inculta, tamen congrua tempori
Sunt: supplex rogito hæc legas,
Vt leges perhibent falciferi Dei:
Qui iussit genialiter
Viuamus uacui sollicitudinum.
Huc unguenta, rosas, merum
Ferte inter choreas: & date synthesim,
Quo Madrucius anxias
Curas excutiat, lectitet hinc librum.

AD CARDINALEM MADRVCIVM, *omnia interire, sola scripta æterna esse.*

Ode tricolos tetrastrophos.

Voluens mente, uiro quàm miserum inclyto
Sit, famam exiguo marmore claudere
Et corpus: monumenta
Laudum nec dare posteris:
Quod post funereos phidiacum rogos
Clarum posset opus uincreidum mare,

Tellus, sidera, cælum,
Stabunt: credideram prius.
Verum istud moritur, tempus & omnia
Deformat: superest quod bene scribimus.
An nunc fortis Achilles,
Hectorq; esset, & Ilium?
An nunc deijceret fulmine Iuppiter
E tellure satos? an modo Cæsaris,
Augustiq; trophœa
Scirem, gestaq; fortium?
Quicquid præteritum est, quod meminit bene,
Et scit posteritas: charta beatior
Auro contulit: una hæc
Nomen perpetuum dedit.
Reges intereunt, factaq; splendida:
Cumq; ipsis dominæ diuitiæ: & domus
Excelsæ: pereuntq;
Gemmæ: & regia gloria.
Illos ni meritis ornet honoribus
Scriptorum calamus nobilium sacer,
Nam Phœnix uelut alma,
Vates funere nascitur.
Is gazas Arabum, & diuitis Indiæ
Aspernatur opes, pluraq; iugera,
Sed uirtute paratis
Gaudet posse frui bonis.
Musæ diffugiunt sollicitudines
Diras: atq; forum, tristitiam, & metum

Quærunt otia grata,
Fonteis, antra, lyram, nemus.
Hæ summis homines associant Deis.
Aeternantq; sacris uersibus: atque ubi
Oderunt, maculosis
Culpis, & uitijs notant.
Vatum ergo innumerum me celebrem, loca,
Ignauo à populo, uulgo & inutili
Secerne: ut uolitem per
Docta ora auspicijs tuis.
Quanto amplis decoras me mage honoribus,
Tanto nobilior fit tua gloria:
Quum dicar tuus esse
Vates, tuq; meum decus.

BENIGNITAS DEA DE CARDI-
nali Madrucio,
Ode tricolos tetrastrophos.

ALmam uehebat roscida curribus
Aurora lucem quadriiugis; polo
Pellens tenebras, excitansq;
Ad solitos homines labores.
Secunda nulli fœmina cælitum
Pulchro ore, pulchro pectore, Virginum
Choroq; longo septa, taleis
Visa sonos dare dormienti.
O quàm beata hæc secula, regibus

Si nota uirtus nunc mea: ceu fuit
Vixere quando glandibus; nec
Dira cupido uiros regebat.
Exorta magno sum Ioue: tempore
Ex quo creauit lucida sidera.
Claræq; uirtutes fuerunt
Vel genitæ mihi, uel sorores.
Sum maior illis, sum quoque dignior,
Ipsiq; patri persimilis: solet
Is me intueri, dum paterna
Vos pietate pie intuetur.
Vobis supernas una ego gratias
Dispenso: quicquid cedere commodi
Videtis, en munus mearum
Est manuum, Ioue sic probante.
Diuis relictis Iapeti ad genus
Veni: illico sed dux Herebi famem
Immisit auri: exinde cædes,
Stupra, latrocinia impia orta.
Hinc totus orbis luridus, & malis
Repletus: ira percita ad igneas
Arceis uolaui: sed uiri nunc
Gratia, me reuocatq; uirtus.
Me uita nullo crimine perdita
Inuitat huius uisere denuo
Vos: ueste sub mortali, & umbra
Qui latet, atque beat beatus.
Quicquid superni gens habet hic boni

Humana:ab isto nascitur, & fluit
Abundè;& inde rore sacro
Irrigat arida, quo uirescant.
Si uestra tali pectora principes
Virtute culta essent:tenebræ citò
Vestris abirent mentibus:nec
Horrida bella magis uigerent.
Nec semper aurum materiem mali:
Possent ut agri tendere terminos
Quodcunq; per nefas dolosum
Expeterent:raperentq; reges.
Sed tunc redibunt tempora filij
Cæli, hic tenebit quum imperium sacrum
Vitæ integer, leges probatis
Moribus usque dabit refertas.
Nunc fulget ostro:mox quoque gemmea
Corona crineis comprimet:eia age
Mecum beatos illi honores
Reddite, mascula thura, & aras.
Tu qui sacraras plectra silentio
Canora muto, carmen inutile
Dum condis ultra tende:& isti
Ingenium, & studium dicato.
Dudum te amicum: te comitem artium
Cultrix bonarum Felsina iunxerat
Illi:usque Mecœnas benignus
Nunc erit:atq; decus supremum.
Hæc Diua dixit, dehinc gremium explicans

Plenum beatis muneribus: bonis
Amplisq; spondebat suorum
Nobilium in numerum locare.
Tunc qui occuparat me sopor excidit,
Circum silenteis flexi oculos, polis
Alasq; reclinare uidi
Tum geminis super explicatas.
Nouiq; numen deinde uirum sacrum
Amore cuius uenerat: inclytam
Hinc gloriam Madruciorum
Egregium esse genus Deorum.

AD MVSAS IN DIE SVI Natalis.

Ode monocolos.

O Praeclara Iouis progenies pierides sacrae
Siue antrũ gelidũ, seu latices pegasios mage,
Parnassi incolitis, seu gemini summa cacumina,
Vestris este sacris perplacidae: fumat odoribus
Sancta ara Assyrijs: è patera nectar ego hic nouũ
Fundo: digna fero dona Ioui: dona & Apollini:
Vobiscum armisona & Pallas habebit sua mu-nera.
Vates (este piae) uester alumnus pia thura dat,
Dat castus q; preces assiduas, sollicitus rogans
Vestrum praesidium, uestram & opem: flectite lumina

Sacris: naribus assumite odorem, dure preces: meos
Quos hac dinumero à luce (precor) ducite candidos.
Feliceisq; dies, absque animi et turbine corporis.
Non ultra trucibus discrucier Musa doloribus:
Instant qui lateri, heu, imperiosi, ceu stabulis Lupi.
Visam nestoreos absque malo uitæ ego terminos.
Blandas diuitias, atque Arabas: limina diuitum
Et parteis fugiam; quæ inuidia, quæ ue laboribus
Longe uberrima sunt, insidijsq;, ambitioneq;.
Sim contentus eo, quod superi contulerint, bono.
Si quid desit, idem sit mihi, idem si quid & affluat.
Diuûm pace fruar: sim superis, charus et inferis.
Quod rectumq; sequar mente bona, semper amem chorum
Vestrũ Castalides, uosq; pari me uice, sim inclyti
Madruci in gremio purpureo: sanctaq; cælitum
Semper iussa petam, iudicio & sim ingenio potens.
Contentus cythara hac, euigilem post nigra funera.

AD DEVM PRECES FVNDIT,

Ode tricolos tetrastrophos,

AN semper atris cladibus obruar?
Meæ salutis tuq; eris immemor
Pater? genasq;, & pallida ora
Assiduis lacrymis rigabo?
Me semper hostis perfidus opprimet?
Nec tu querelas supplicis audies?
Satis superq; abhorruere
Questibus â miseris tuæ aures.
Culpas fatenti, da ueniam pater,
Ne æternus artus hos sopor occupet.
Cogatur umbras atque imago
Heu mea tartareas subire.
Natum gementem si pater eijcis
Tuum, quis ulnis excipiet pijs
Illum? negas tu si intueri,
Suppetias ueniet quis illi?
Multa egi inique: sed doleo: & tuum
Læsisse numen me modo pœnitet,
Manare nec cessant ocelli
Vsque meis lacrymæ ob dolorem.
Peccata quanquam me grauia urgeant,
Nec sim uocandus filius: attamen
Fretus tua benignitate
Non uereor ueniam precari.
Pater creasti me ex nihilo, & tuo
Me liberasti sanguine ab inferis,
Sedeisq; promisti beatas
Si tibi me nitidum dicaro.

Iam dexter audi, & fluctibus eripe
Atris malorum me tibi supplicem:
Correctus adsum: iam remitte,
Lumine meq; pio intuere.

IN TYRANNVM.

Ode dicolos distrophos:

Tyrannus ergò uim inferet dirus mihi?
Tyrannus ille qui suos
Affecit atra clade subditos: bona
Et priua carpsit: &
Cóegit illos esse de liberrimis
Seruos: sui nec compotes.
Vineta, syluas, prataq;, & nemora suo
Iuri Tyrannus subdidit.
Pater nefandæ cædis: et spretor Dei: &
Neglector eius nominis.
Furumq;, prædonumq;, latronum & comes,
Vsq; arte colchicha impotens.
Martinianæ cultor est sectæ, & caput,
Et fœnerator perfidus.
Inuentor omnis & sceleris, & criminis,
Quicquid nefandi est, prô, suum est.
Iam cuncta ad unguem huius recenserem mala
Ni nota mauris, & scythis.
Et quum tonantis ira puniet malum
Non æqua tormenta inferet.

Ni iusserit pœnas ut orci exerceat:
Hic luridi teterrimas.
Mortem prius, sed languidus desideret,
Vocata nec sit ter, quater.
Sed urgeatur impijs cruciatibus:
Sit plena pellis ulcerum,
Et sit misellorum omnium miserrimus:
Misereat eius æmulos.
Quanto mage optârit mori: illi longior
Sit uita, sed lugubrior.
Et tunc cruenta tela sentiat mea
Lycambis iuncta sanguine.

AD FRANCISCVM OLIVIVM.

Ode tricolos tetrastrophos.

MVsas amârit quisquis: & oderit
Auram profanæ plebis: & improbas
Sensus uoluptates domarit.
Sorte sua nihil inde quærens
Contentus. Omni rege beatior
Viuet: minantis mox gladij necem
Quem cura mordax terret: usque
Luce premit, premit usque nocte.
Naque in reducta ualle quietius
Frutex resurgit: quàm steriles iugis
Orni sub altis: quæ igne cadunt,
Et pluuijs agitantur austris.

Nil est in auras quod citius leueis
Quàm spes potentum deferat africus.
Te iure dixerim beatum
Qui alta fugis, in edijs & hæres.
Et quem Sororum grata sodalitas,
Suisq; Phœbus cinxit amoribus:
Probi decoraruntq; mores,
Sanguis & ingenuus parentum.

AD CARDINALEM MADRVcium, Poetas curæ esse Deis.

Ode dicolos tetrastrophos.

DE pijs ne te bene promereri
Magne Madruci pigeat poetis:
Qui tuam æterno decorare gentem
Carmine possunt.
Sunt sacri Musis, superisq; grati.
Hiq; non Diuis minimæ esse curæ
Assolent: pœna afficiant ut atra
Hisce nocenteis.
Castor & Pollux duo clara Cæli
Sidera in Diuûm numerum recepti
Euocauere inde Simonidem ipsa ab
Aede ruenti.
Et pater Bacchus monuit Lysandrum,
Donec exanguem tragicum sepulchro
Conderent ciues, ut Atheniensi

Parceret urbi.
Et Corax aris procul est repulsus:
Atq; detrusus per opaca regna:
Quòd sacri Phœbo Archilochi poetæ
Colla secarat.
Quid moror nunc te benefacta Diuûm
Vatibus longo celebrare uersu:
Quando Alexander pariter secutus
Facta Deorum?
Namque terrarum domitor superbus
Omnium, uatis domui pepercit:
Et sacro reddi cineri supremos
Iussit honores.
Cherilus uatum licet esset olim
Pessimus: sumpsit tamen æs Philippi.
Ennium ornauit statua Africanus
Arte carentem

AD GIBERTVM BORROMEVM,
ut parcius mensis uinum apponat.

Ode tricolos tetrastrophos.

GIberte cœnis fundere parcius
Bacchum memento: sumere thracio
De more multi audent: & inde
Sanguineas agitare rixas.
Centaurus ardens Hyppodamen mero
Tentauit acri diripere è sinu

Sponsi: furenti tanta inest uis
Claustra pudicitiæ ut refringat.
Hac nocte quidam me prope perdidit,
Cognomen hausit qui merito à cadis:
Fræna ore disrumpens procaci:
Et ualidas lacerans habenas.
Quid non profatur longa bibacitas?
Quod non uaga audet turpe licentia?
Virtutis inscia, & bonæ artis,
Iudicio q; carens probato.

HORTATVR BERNARDINVM
Maffæum otio literarum uacare.

Ode dicolos distrophos.

ROmulidum soboles Phœbi uenerate, pieriq;
Chori sacerdos, & reuincte lauro.
Tu alter Alexandro Craterus: tu Ephestiō es alter
Dilectus: altum iam statum uideto.
Aligeræq; Deæ memor, utere linteis secundis,
Notisq;, donec Dij sinunt benigni.
Fortunæ uolucri quis nectit uincula: atq; figit
Clauum: uocata dum potitur aura?
Seruatam scopulis, trucibusq; aquiloinbus, tenerent
Dum rostra portus, & rates ligarent.
Vidi ego disiectā classem æquore se prope obruentē,
Superq; merceis, & uiros natare.
Abstinuit uexare casas humileis, & incolas fors,

Potentiorum limen occupauit.
Atria dum fugio: dum mœnia, dum superba tecta,
Contentus ima sorte, cum beatis
Viuo: uiuit enim bene, qui nihil expetit superflui:
Et fræna ponit sensibus proteruis.
Quis desyderio auri est finis? quis licentiam ipsam
Compescit? ut quicquid placet, sit æquum.
Multa animus petulans, oculo mirante, cõcupiscit,
Multa auris audit, quæ parant ruinam.
Pergama adhuc starent, uigeat uaga fama ni Lacænæ, &
Elisa troiæ nesciens ruinam.
Viueret Aeetes, si uellera fulua adhuc silerent:
Faces puellæ nec truci fuissent.
Quo plus possideas, hoc maior erit tibi cupido,
Et tristior te cura macerabit.
Eripe te laqueis fallacibus, eripe aureis te
Tectis: quieti consule, & saluti.
Dulcius expromunt modulos in ualle: uel patenti
Campo uolucres: quàm reclusæ eburnis
In caueis: regni rex anxius inuidet colono,
Seruiq; uitam sæpius peroptat.
Non ne eadem mensura uteri tibi, quæ mihi? & minor sors,
Nec excoquuntur, ne c placent palato
Perfusi luxus epulæ: & pulmenta: noxia & sunt
Quæ uina potas cum gelu niuoso.
An non succurrit murum fabella prisca: quorum

Alter colonus ruris, alter urbis.
Contenta est minimis rebus natura: gaudet ultro
Quiete, & his quæ terra sponte gignit.
Quid tibi diuitiæ Crœsi, aut Arabum, indiæq; pro-
sunt
Gazæ? repente cum cadant, ruantq;.
Funera Thersites post atra eadem tulit quæ Achilles
Pugnax: in uno distat hic ab illo.
Hic titulis clarus pulchris, & honoribus decorus,
Infamis ille est uatis arte magni.
O sacri uates Diuorum cura, queis dedere
Parcæ renasci post rogum beatis.
Vos hominum calamo uitam, uos horridamq;
mortem
Signatis, & uos quos placet sacratis.
Non rude curatis uulgus, non improbas opes, nec
Aurum, furentis nec minas Tyranni.
Contenti leuibus maluis tantum, otioq; dulci
Virtutis: æuum quæ per omne uiuit.

DETERRET EVNDEM A VE-*natione.*

Ode tricolos tetrastrophos.

SPumantis apri cornea per latus
Te te ferunt uenabula sanguine
Tinxisse crudo, dum fugaceis
Insequitur capreas, & urget.

Venator decer Magnus:& occupat
Fuluos leones:aut celerem fuga
Ceruum,aut aprum trucem retardat
Missilibus,uel equo feroci.
Non uatis hæc sunt carmine fortium
Qui facta cantat maxima,& horrida
In bella non descendit:apros
Deuouet illacrymans amatū
Crudele Adonis prò exitium Venus.
Et te Deorum non bene cognitæ
Iræ,mouent à cæde ferarum
Abstineas:Calidonq; Trosq;
Testantur:ausus cuspide Balthasar
Tentare uulnus dura per ilia
Immane adhuc spirantis apri:
Tutior abspeculetur ipsos
Saxis ab altis:aut celeri se equo
Committat,arua lustret,& omnia
Clamore confundat: uocetq;
Exhilarans socios, procul stans
Secura quærat uel thalami otia
Cauti,& scientis more Mirandulæ,
Excisa qui uix intuetur
Ora trucum metuenda aprorum.
Certus uirentem sic poterit comam
Sperare:promptos & facileis Deos
Agnouit: ultra uota tendat,
Nec metuat ruitura fata.

AD PETRVM ALBVTIVM VT GE-
nium curet.

Ode tricolos tetrastrophos.

ATtolle circumuolueq; lumina
Campos patenteis: & iuga montium
Candere spectabis, hybernis
Et niuibus syluas reflexas.
Ne parce lignis frigora dissipans
Nutrire flammas: languidioraq;
Deprome uina: amariores
Ante focum calices bibendo.
Curas, & acreis sollicitudines,
Mœstum & timorem dissipat Euius,
Formidat enseis nec cruentos,
Pauperiem metuit nec atram.
Curare sanctum te genium decet.
Sensus graues è Socrate surpere
Causasq; morborum latenteis
Scire nefas tibi, uel futura.
Non si quod omnis turba scientium
Scripsit legendo noueris, aspera
Et firma cursu dimouere
Fata suo poteris: nec herbis
Daphnen redemit Phœbus ab inferis.
Fatale rumpunt quum semel impiæ
Stamen sorores, uis nec auri,
Herculeus ue labor reuincit.

Quæcunque præter quæ bene scribimus
 Leueis in auras, & celereis uolant:
 Vnum nec appones dierum
 Siue gemas tibi, seu ioceris.
Rectè beatum non ego dixerim
 Quem semper urget dira cupiditas
 Auri: Deorum quiq; nescit
 Muneribus sapienter uti.

AD CANDIDVM
Ode dicolos tetrastrophos.

Parce me sacro numerare uatum
 Ordini, & summa decorare laude.
Tam leueis lusus ego non Caballi
 Flumina potus
Scribo, & id raro, fateor. minantum
 Non tamen regum metuenda tela,
 Non graueis culpas, nec auara secla
 Insequor audax.
Sed puellarum potius iocosa
 Furta: nam iußit Venus, atque Bacchus
 Me pater duras resonare amantum
 Pectine leges.
Et modo audaces iuuenum serenos
 Virginum uultus laniare, crineis
 Contra & auratos: celebrare dulceis
 Nox quoque paces.
Vnde nec lauro uiridi, ne oliua

Cinge, nec nostros hedera capillos,
Vite uel Myrto potius corona
Candide Vatem.

AD MARCELLVM PALONIVM de statu suiipsius.

Ode dicolos tetrastrophos.

QVæ sit uita mihi, quis placeat status
Ceruice ex humili deposito iugo,
Si Marcelle petis: fida laboribus
Nostris Melpomene est comes.
Turbam uito leuem, mœniaq; urbium
Curis plena, malisq; ambitionibus:
Gratum rus habito solus, & inscius
Diræ sollicitudinis.
Non æstum hic metuo, aut scythonias niueis,
Non falsi imperium iudicis impium;
Non æris sonitum, non baculi audio,
Non uocem esurientium.
Primo mane Deum suppliciter rogo:
Libros quæro dehinc, post iuga montium,
Aut campos uirideis, uisoq; pampinos,
Et saltus nemorum uagos.
Aurito lepori retia sæpius
Prætendo: inde canum hunc urget odora uis,
Donec compulerit præcipiti fuga
In casseis, pauidum mori.

Tum præda exhilarans, accelero pedes
Ad mensam tenuem, sed nitidam, & dapes
Sumo fictilibus, quas mihi porrigit
Matris fida manus piæ.
Aduentant socij: tempora fallimus
Lætanter uarijs lusibus ignea:
Hinc musas repeto: mentem auidam expleo
Sacris usque liquoribus.
Sunt fontes gelidi: sunt nemorum comæ,
Quas grato Zephyri murmure commouent:
Sunt cantus auium: uincere uocibus
Quos nymphæ liquidis sacræ
Decertant: niueis tempora floribus
Sunt cinctæ Dryades: sunt comitum chori
Aptantum cytharas, atque canentium
Alternis uicibus modos.
Denso rete uaga aut flumina cingimus:
Hæc cursu à rapido lubrica dicimus.
Labuntur nitido splendidius uitro:
Conturbamus at horrido
Cum fragore: citi prosiliunt uadis
Aspersi uario tegmine lyncium
Pisces: turba simul multipedum ruit,
Et retrogradientium.
Qui plausus comitum, præda & ouantium
Clamores. uiridi in gramine sternimus
Tum mensam, inde mero pellimus, & iocis
Curas, atque facetijs.

Expletiq; epulis, ad ſua ſinguli
Gaudentes redeunt limina: munia
Nec non ſueta, toro membra locant: ego
Libris non ſine dormio.
Tecum ſæpe loqui, & cum Iouio ſacro
In ſomnis uideor, Ferrerio & probo,
Sæua ſorte ſuper, caſibus & meis
Vobis conſiliantibus.
Vatis uita tui hæc eſt, ſtatus optimus,
Omni quandoquidem rege beatior:
Nil præter dominum quærimus omnium,
Muſarumq; frui otio.

OPPRESSVS ANGVSTIIS OPEM Dei implorat.

Ode dicolos tetraſtrophos.

OPpreſſus alta ſollicitudine,
Curisque, nec non hoſtibus impijs,
Quod maius eſt, culpis ab ipſis:
Iugiter hæ lacerant meum cor:
Ad te leuaui lumina lacrymis
Cæli creator noſtra madentia
Supplex: opem tuam precando
Ceu ueniam puer à parente.
Quantam in ruinam diſtrahor ô pater
Vides, nec eſt qui præſidium mihi
Ferat miſello; imo ſuperbus hoſtis.

Præualuitq; inimicus in me.
Gens quæ benignum polluit impio
Tuum ore nomen, me miserum enecat,
Irridet, urget, iurgat, ac si
Sim populi opprobrium probrosum.
Ne iniuriarum me (rogo) sustine
Pati tot ictus: lumine sed pio
Seruum, nec ultra filium, heu me
Respice, dehinc miserare flentem.
Vt inde pulsis te duce iurgijs
Lætus canoro pectine concinam
Laudes tuas per omne tempus,
Et merita in populum fidelem.

LIBERATVS GRATIAS
agit Deo.
Ode dicolos distrophos.

QValeis raptus ab inferis
Et cæco reus à carcere, gratias
Reddit, ni meriti immemor:
Taleis summe Deus reddere debeo:
Sed non, si ter & amplius
Vitam quoque die supplicio graui
Profundam: potero ultimam
Partem alti meriti exoluere: nam tua
Dudum larga benignitas
Diris eripuit me Deus hostibus.

Nunc è faucibus impiæ
Mortis surripuit: corpore languido
Morbum sollicitum expulit.
Vt fluctus scopulos æquoris horridi,
Tundunt: ilia sic dolor
Vexat: rupta mei ut uincula corporis,
Et iam spiritus aera
Mœrens magne pater deserât: hunc tua
Sed clementia reddidit:
Et maiora mihi commoda: numinis
O laudanda benignitas
Summi, quæ meritis tollere laudibus
Te digne poterit Pater?
Tu nutu superos, tu regis inferos,
Tu quodcunque lubet tibi
Iussu perficis absque: omnia sunt tuo
Verbo facta: solum, mare,
Cœlum, & quicquid inest sideribus uagis.
Quo desiderium rapis
Me, non fanda loqui regis olympici,
Atque abscondita dicere:
Quæ, ni rore sacro stelliferi poli
Perfusus, nequit edere.
Cœlo est altior, & nocte profundior
Ergo Musa tace eloqui
Quæ mortalis homo nescijt hactenus.
Sed quæ dic potius mihi
Larga dona manu, & munera contulit.

Alta pace frui dedit,
Hosteis subijciens sub pedibus meis:
Iam nemo esse potest mihi
Infensus, dominus si Clypeus nitens,
Thorax, & galea ærea:
Defensorq; potens: ô Pater optime
Da mandata sequar tua: et
Abs te ne amoueas me: ante sed omnia
Te solum uenerans amem.
Non ultra excruciet me laterum dolor.

IN PRINCIPES CHRISTIANOS

paranteis noua bella.

Ode dicolos distrophos.

QVid est furoris principum præcordijs?
Tentent adhuc ut prælia.
Tristes aguit an hos sorores anguibus
Caput reuinctæ squammeis?
Nondum piorum sanguinis fusum est satis
Terra, mariq; turgido?
Nondum Deorum euersa templa sunt satis?
Effecta sacraq; irrita?
Adhuc cruentus miles ardet mortibus,
Stupris, rapinis, luctibus?
Et quæ in ligones arma conflata, heu pudor,
Formæ priori reddita.
Iam clangor auditur tubarum Martius,

Ciens uiros grauem in necem.
Strages parantur ergo? acerba funera
  Sponsis, pijsq; matribus?
Cessabit unco scindier iam uomere
  Terra, & tegetur uepribus?
Plorabit alta non iuganda populus
  Vltra nouellis uitibus?
Mores abibunt integri, & leges sacræ,
  Abibit & pax, & quies?
Succedet his crudelitas, furtum, dolus?
  Malorum & omnium cohors?
Dissoluet orci Pluto uincla luridi,
  Infernam in orbem uim mouens?
Immittit in nemus uelut uenaticos
  Canes Diana post feras.
Heu quanta cunctis imminere cernimus
  Mala, & labores gentibus.
Hæc hæc ne reges cura commissi est gregis?
  Armenti an hæc custodia?
Tundere lanas num fuit uobis satis,
  Et esse lac cum caseo?
Agnis & ipsis matribus fuit decens,
  Nec non maritis parcere.
Arcere quid prodest lupos ab ouilibus,
  Vos acriores si lupis?
Partos aceruos queis per impium nefas
  Linquetis hos pecuniæ?
Queis regna parta tristibus tot cladibus

Paratis? hæredi impio.
Reges uocandi uos, parentes patriæ?
Imò estis hostes perfidi.
Quod si parumper tollitis cupidinem
Regnandi auaro à pectore,
Culturæ & aureis nescias præstabitis
Nostris patenteis uocibus:
Docebo leges optimas, docebo uos
Regum & parentum munera.
Ah mens abhorret à pijs monitis, & à
Recto salutis tramite:
Vesana furtis, & rapinis, & dolis,
Auroq; mens se credidit.
An uos fugit, qui cogitis tot oppida,
Tot regna, genteisq; exteras
Parere, claudendos tot ulnis mox fore
Terræ, quot Irus tam miser?
Quid regna uobis proderunt amplissima,
Auriq; acerui maximi?
Audite reges, quid Cynicus edixerit,
Dum mortuum ossa uolueret.
Nato uocatus à Philippi quid faceret:
Regum, & Ducum ossa quæro, ait.
Nec inter pauperum discerno ea:
Cum nulla sint discrimina.
O' uana regum, & principum superbia;
Aequanda quæ messoribus:
Quis scit? minorem æternitatis gloriam

Fors assequentur cœlitum.
Ah dira tandem bella reges linquite:
Graueis & iras ponite.
Quòd si cupido uestra tentat pectora,
Regnorumq; amor uos tenet:
Eoa uobis regna sunt ditißima
Quærenda: quæ quondam Imperi.
Illuc cruenta tela in hostes uertite
O Christiani principes.
Illic & exercete uestram iram impiam:
Illic & aurum quærite,
Gemmasq; fulgidas, & urbeis diuites,
Latosq; regni terminos.
Nil est quod hîc extorqueatis amplius,
Assumpta iam sunt omnia.
Vix uita restat: spiritum uix ducimus
Vestris rapinis principes.

AD VALENTINVM FABRVM DE ærumnis Romane Curiæ.

Ode tricolos tetrastrophos.

VRbis delicias quid mihi Romulæ
Præsentas? & opes, amplaque munera?
Fastus? atque decoros
Patres sanguine muricis?
Nescis cui referes hæc faber, omnia
Quando expertus ego sum mala curiæ.

Erumnas, dominosq;,
Damna, & seruitium graue.
Insignis Tyrio murice belua
Votis uota tuis imperat irrita:
Seruorum quoque Romæ est
Semper uita labos, dolor.
Quæ tam sollicita est, plenaq; ciuitas
Curis, inuidia, atque ambitionibus?
Aut tot pocula succis
Offert nigra nepotibus?
Festas sæpe dapes sumere creditis,
Lethales miseri at sumitis: & tegunt
Fures picta tapeta, &
Mucronem laquearia.
Non si quos retinet detuleris mihi
Thesauros, qui hominum qui medius Deûm
Paulus mole superba,
Mentem dimoueas meam.
Vestram urbem illi habitent, quos populi fauor,
Mordaces & alunt sollicitudines,
Et mitræ redimicla,
Assentatioq; est placens,
Et quos ambitio discruciat leuis.
Per fas estq; nefas cura pecuniæ:
Suntq; ad quodque parati
Dirum uertere se scelus.
Frondosas syluas, & nemorum colo
Vmbras: sector apros, & lepores citos.

Vrbeis, & fora, liteis,
Et turbam fugio grauem.
Diram mala famem dulcia sæpius
Venanti mi adimunt: frigus & horridum
Tectus pellibus ursæ
Villosæ, atque lupi arceo.
Blandas diuitias, regnaq; tristia
Vito; non metuor, nec metuo: satis
Diues paupere agello;
Diuesq; exiguo grege.
Insomnis tacitas non modo contero
Nocteis: euigilans qui placeam truci, &
Ingrato iuueni: ardet
Qui desiderio sui.
Non me liuor edax inficit: arguit
Insulsas epulas larga ue copia,
Delector minimo: urget
Nec me dira necessitas.
Auro lene merum, uel sitiens bibis
Chium: uile bibo de fragili uitro:
Et quandoque fugaceis
Lymphas prendo caua manu.
Quæ totum exagitant bella solum, mare,
Me non excruciant impia: sed mage
Quæ intra pectora porto:
Quæ & præsto fugientibus.
Certant Italiam perdere principes:
Nos horum luimus non meritum scelus.

Nostrum hoc tollere non est;
Sed nostrum interius malum,
Non qui externa fugit bella quietius,
Sed qui interna; Faber uiuit: & omnia
Aduersa effugit hic, si
In se pacis habet bonum.
Felix quæ comites promeruit Deos
Aetas prisca patrum: tunc pietas, fides,
Et tunc relligio, & pax,
Regnabat quoque ueritas.
Gens humana sacro tunc potuit choro
Ascribi, atque Deis annumerarier;
Fons, glans, fronsq; dabant quum
Potum, fercula, tegmina.
Non auri potior gloria: non cruor
Duram tinxit humum: ditior unde agri
Possessor fieret: nec
Norat fallere uir uirum.
Priuatiq; nihil, publica & omnia:
Quantum quisque suo duceret usui
Esse: hæc illa parabat,
Nulla urgente cupidine.
Et qui plurima arat iugera erit capax
Victum quaque die sumere dupplicem.
Sed nec Pauo beatos
Annos efficiet mage,
Viles cortis aues quàm faciant: meum
Contentum minimo non ego iam Faber

Commutare animum opto
Tecum: aut purpuræ in ordine.
Si uictus tenuis iamq; beatior,
Se & desyderio continet in suo.
Talem me pietas Deûm
Conseruet superûm precor.

EPIT. FABII CATTII.

Ode Monocolos.

HAc urna Fabius iacet parentis
Spes, Catti generis lepos, decusq;,
Fortunæ atque animi bonis refertus:
Vix annum & duo lustra terminarat:
Verrucosi animum at senis gerebat:
Heu fata aspera, & heu truces sorores:
Summa spe puerum inde surpuistis?
Nostri delicias, salesq; secli,
Et lusus, ueneresq; deuorastis?
Heu fata aspera, & heu truces sorores.

AD FRANCISCVM GVTTERIVM,
indulgeat genio, quia fata incerta.

Ode dicolos tetrastrophos.

QVis casus uarios dicere Gutteri
Fortunæ poterit? uel bene nouerit
Cautus quid fugiat? quid ue sequatur? aut
Cras

Cras promittere se sibi?
Nemo est tam sapiens, Socraticos licet
Sensus surpuerit, cederet ut Plato
Illi Cecropius, proximus aut ei,
Fatum qui sciat ultimum.
Mauortis refugis bella quid impia?
Quid febreis metuis? quid pluuios notos?
Aut tristeis hyadas, & freta turgida, et
Orbis quicquid habet mali?
Dulcem auram excipiens detegis ut caput
Scalpendo digito improuidus, illico,
E tecto uolucris tegula decidit
Et fregit tibi uerticem.
Venatum ire paro, dumq; ego limine
Et porta insideo, sacrilegus pilas
Sex plumbo ex liquido torsit, & ô dolos
Tres coxam lacerant meam.
Et ni me regeret numen Apollinis,
Dirus nigra Charon trans uada duceret
Cymba perfragili hanc dulcem animam ad pias
Sedeis, & superum domos.
Incumbe en genio, & cras fuge quærere
Diui quid tribuant, fac bene uiuere
Cures: deinde merum funde capacius
Conchis lætitiam parans.
Si duræ dederis sollicitudini
Te te, aut ambitio, aut cura peculij
Semper sollicitat: uita breuis fugit:

Optantem & uaga deserit.
Etsi Gutteri opes diuitis Indiæ,
Thesaurosq; Arabum possideas, sacrum
Et summum teneas Pontificum decus,
Mordax cura tamen premet.
Non qui multa tenet, murice & utitur,
Multisq; imperitat gentibus, optimus,
Sed qui composita uitæ habet ordinem,
Contentus minimoq; erit.

AD IACOBVM PHILIPPVM SACcum Senatus Mediolani Præsidem.

Ode dicolos distrophos.

HActenus infandos casus, & uulnera dira
Nescire finxi saucius.
Furta etiam tacui, miseranda incendia, falce
Truncos maligna palmites.
Aedeis usque sacras disiectas dissimulaui,
Sperans malignum corrigi.
Non ideo oblitus, quòd mî percusserit uno
Ictu tribus coxam pilis.
Vt me prædulcis priuaret munere uitæ,
Nisi affuisset Iuppiter.
Sacrilegus meritas exoluat sanguine pœnas
Nolim: exitum talem horrui.
Sperabam scelerum pertesum illum esse, libellos
Vt redderet mî amabileis.

Hi mea cura tenax, nam cætera condonaſſem
Amore regis cœlitum.
Impius at ſcelerum quærens faſtigia, patrem,
Cui luſtra ſunt dena, & tria,
Iam tremulum uoluit gladio concidere, charum
Fratremq́; , ſpem unicam domus.
Non crudelis adhuc contentus, fata minatur
Mihi ultima, ubi, ubi fuero.
Quid facerent diri Turcæ crudelius urbe
Capta, in pium genus hominum?
Vnde lares patrios, & auitos liquimus agros,
Timore mortis horridæ.
Hexaphoro portor languens, & uulnere tardus:
Eſt lingua ſola mobilis,
Omnia ſunt prædæ prædoni miſſa cruento,
Apris agellus ut trucibus.
Sic patriam, et fratrem, ſic patrem amiſimus annis
Fractum, inter arma triſtia,
Inſtantis noſtræ trepidanteis nuncia mortis,
Sibi & timentes anxie.
Nanque ſenex dextram aſſueſcit crudelibus armis,
Quæ neſciebat iunior.
O pietas, telum cogatur ferre labanti
Se dextera ut defenderet.
Et quæ tuta domus domino uult eſſe, timore
Sit plena mortis anxio.
Limina nec portæ calcem extra porgere inermis
Audet, nec eſſe in ianua.

Vt pecus in stabulis trepidans se continet; urget
Dum uis luporum ouilia.
Iam propé fessa graui, et succumbens pondere uirtus
Rerum asperarum conciderat.
Ni bona spes animum fulciret restituendo
Meipsum mihi deperdito.
Quòd mea fracta salus fouetur te auspice, ceu sit
Commissa magno numini.
Nam tua de cœlo descendit iustitia alto
Non usus hic mortalibus.
Virtutes omneis nosti, sed gloria parua hæc
Cum Dijs tibi est commercium.
Quis, nisi numen erit, secum ius dicere utrunque
Potest & æque & illico.
Ceu Numa ad Egeriam descendis quaque dierũ: ut
Responsa des petentibus.
Mecum hæc sæpe loquor, duros meditorq; labores
In tam senili corpore.
Vt iuuenum quiuis nequeat perferre nouarum
Rerum, & laborum pondera.
Nominis unde tui fixa est dulcißima cordi
Meo memoria turbido.
Credula spes, & certa salus, tu fulgida lux es.
Tu dulce solamen meum.
In te firma fides dulcescat ut omnis amator,
Mente eluas curas mea.
Si in me erit illa prior mens candida, si timor absit
Multo canam te carmine.

Sacrilegus detentus atrox, & prædo sceleſtus,
Affinis illum at detinet.
Protulit occulta hinc bis ter ſua cornua Phœbe,
In re ſed actum eſt prô nihil.
Nunc deſunt funes, ſunt funes, ecce miniſter
Non eſt, latet ſic ueritas.
Si precibus iuſtis unquam deuinceris, & te
Senis parentis iam miſeret:
Adiacet ante pedes domus en miſerabilis, orat
Plorans, & obſecrat iacens.
Vt Mediolanum ducatur prædo, locum alma
Quo ſortiatur iuſtitia.
Non quærit mortem quãquam mereatur acerbam,
Sit ſaluus, & dentur ſua.
Quid rogitem ipſe mihi, libros, dulceisq; labores,
Reddatq; amata pignora.
Vitam illi exopto, uitam mihi ſed precor ante,
Dolorem at urget nunc dolor.
Vt fragor horriſonus cælum quatit, et cadit imber,
Et grando glomerato agmine.
Conſternuntur agri, & ſegetes, frondesq; uirentes,
Natantq; foßis omnia:
Sic me congeries proſtrauit Sacce malorum
Denſata curisq; obruit:
Ni tu pacato me uultu contueare,
Præſtesq; pacem ſenſibus.
Aſpice iam lacrymas, iam mœſtos cerne dolores,
Timore diro ut macerer.

Ne ferus in frusta concidat corpora prædo,
Et me miserrimum enecet.
Eia age sacrilegum prædonem Sacce scelestum
Iube, iube huc adducier.
Est aliquid seruare domum, seruare poetam,
Vepreisq; sulcis uellere.
Hæc diuum pietas, hæc summi iussa tonantis,
Nostra ut metamus semina.

INVITAT ANIBALEM
Cruceium.

Ode monocolos.

SI promissa facis, potesq; luxu
Conuiuam sine regio Crucei
Te præstare, ueni, est parata mensa.
Et splendet uitreus calix, salinum.
Et rebus mulier studet culinæ,
Non ignara uiris parare doctis.
Quòd si forte times falerna deesse,
Timorem abijcias, ferasq; tecum.
Iam ueni, atque diutius morari
Noli, relliquias uelis nisi esse.

AD PHILIPPVM CATTIVM, MORtem Iuliæ coniugis deplorantem.

Ode dicolos tetrastrophos.


IAm longis lacrymis desine turgidos
Conturbare oculos: denique questibus
Mœstis pone modum: parceq; conqueri,
Sublatam tibi Iuliam.
Charo quæ fuerat lumine charior;
Cui iussæ charites sunt famularier:
Quam multis decorat Pallas honoribus:
Quam exornat Venus aurea.
O fallacem hominum spem, fragilem, leuem,
Quæ cursu in medio sæpius occidit:
Nec portum ualet, aut limina tangere,
Contendat petere, heu, licet.
Nil est quod citius sub Ioue concidat,
Quàm mortale genus: soluitur unico
Hæc compago luti spiritu: abit uolans
Sub lege irreuocabili.
Ducas Cæsareo sanguine originem,
Quid refert, inopis uel muliercula?
Mors perdit pueros, mors iuuenes, senes,
Aequans sceptra ligonibus:
Quid nunc proficiunt hæ querimoniæ:
Quid prosunt lacrymæ, quid noua næniæ?
Quid frustra inq; Deum niteris optimum,
Nutu qui regit omnia?

Certe chara tibi, pulchra, & amabilis,
Ipsis longe etiam Iulia pulchrior
Dijs uisa est: animo & facie decens
Priscus quam decorat pudor.
Nulla hac casta magis fœmina: & illius
Dictum pace uelim, quæ sua perculit
Mucrone ancipiti pectora: post duo
Et quæ lustra duo altera
Præstolata uirum fluctibus æquoris
Actum: parce etiam Portia nobilis,
Et Romana decens, quæque pudicaq;
Nostri hæc gloria sæculi.
Quis te iam poterit Iulia carmine
Cantare egregio? quæ superum choros
Audis: tuq; simul concinis, ô nimis
Felix dulcisonos modos.
Iam terrena minus ciuis olympica
Curas: nec metuis, nec pateris, frui
Sed contenta bono, paceq; cælitum:
Quam dudum ipsa paraueras.
Da electa Deo sollicitas preces
Pro dulci sobole: & coniuge Iulia:
Et sit cura patris: nestoreos dies
Vt uiuant sine turbine:
Ergo parce pijs uocibus æthera
Implere, & gemitu: pone doloribus
Mœstis usque modum: desine conqueri:
Et te collige Catie.

Non est crede mihi Iulia mortua: at
Viuit, non moritura amplius. adde quid
Lætari ipsa iubet te, & patientius
Ferre id quod placitum est Deis.

AD NICOLAVM SICCVM IN NAtali Diui Martini.
Ode dicolos distrophos.

O Dulcis comitum cohors,
Quorum ornat uiridi tempora pampino
Bacchus lætitiæ dator,
Et quos Phœbus amat, Pieriæ & quibus
Musæ serta parant, dapes
Instaurate hilares, liberi & orgia
Patris, sollicitudines
Mordaceis uacuo pellite pectore.
Nil durum aut resonet graue.
Nil quod displiceat mentibus integris.
Natalem colimus diem
Martini celebris secula in omnia.
Qui læta instituit sacra
Et iussit Bromij munere prolui
Menteis, lætitiæ, & iocis,
Et festis choreis, & uarijs modis
Indulgere, & odoribus
Fragrare assyrijs. Sicce sacri chori
Fontisq; Aonij decus,



Præfecte atque potens Iustitiæ, uices,
Exercens bene Cæsaris.
Si magnis uacuus forte negotijs
Conuiuam cuperem mihi
Te præstare hodie: nanq; dies monet
Viuamus genialiter.
Franciscus ueniat cultus Oliuius,
Nostri gloria seculi,
Seu græco ore loqui, seu latio uelit,
Seu scribat ueteres sales,
Mœstis seu fuerit præsidium reis.
Vitæ dimidium tuæ
Et consors studij, tecum utinam facer
Martiranus & afferet,
Vir summi ingenij, & iudicij grauis,
Condens pulchra poemata.
Et posses pariter ducere Mirthium,
Tris putreis ni oleat Deas,
Vrbis pernitiem. is pocula sumeret
Musarum ad numerum, & Deûm.
Non tardis pedibus dehinc sola pelleret
Ad mollem cytharæ sonum.
Fessusq; ad cyathos sæpe recurreret,
Perfususq; mero, senis
In morem calabri, carmina pectore
Eructaret inertia.
At tu magnanimi blandius Orpheo
Aduentum caneres Ducis

Nostri, uel melius Mæonio patre,
Hymnosq; æquoreis Deis,
Ventorumq; patri, quo freta turbidis
Austris turgida sternerent.
Supplex hæc eadem concinerem lyra
Lætus, tuq; itidem ut fera
Tempestas ratibus parceret: inclyto
Et Madrucio, honoribus
Aeternis decorando, at potius tibi,
Vatum deinde choro: & mihi,
Qui sanctis pedibus demoror osculum.

AD AVGVSTAM AEDVAM DE *Calendis Augusti.*

Ode dicolos tetrastrophos.

PRimo quid faciam concinimus die
Augusti uacuus, cum quibus ignea,
Vrit dum Procyon, tempora fallimus,
Auguste optime ciuium
Nostrorum, aut foueas munificentia
Virtutum proceres, obsequio aut probos
Ciueis, aut populum consilio iuues,
Rem seruans bene publicam.
Dulci plena mero uasa releuimus,
Asseruata prius ponere Cæsari
Victori, populis ante rebellibus
Victis, cum ducibus suis.

Nullus lætitiæ sitq; hodie modus,
Vescemur dapibus nunc saliaribus
Vnguento madidi, pocula grandia
Ponemusq; capacia.
Nulla Auguste dies hac genialior,
Hæc antiqua mihi sint Dionysia,
Hac amplis tribus Augustus honoribus
Donatus patribus fuit,
Ter uictor fuerat nobilis hoc die,
Augustusq; uocatus patriæ pater,
Nec non frugiferis mensibus additus,
Et præsens habitus Deus.
Maius, nec melius nomen ab optimis
Antiquis patribus, siue Quiritibus
Augusto potuit dicier. hoc bona
Insunt omnia nomine.
Augustum ergo diem concelebrabimus,
Et Baccho, & Cerere, & pomifera Dea,
Et terræ uberibus fructibus optime
Ornatumq; coloribus.
Tu si Auguste uoles mecum hilarem diem
Totum in lætitia insumere maxima,
Accede: at melius consulo, pauperem
Me linque, atque Tabernam adi
Scribam Cæsaris, est clauus hic Insubrum,
Nec non in rapidis fluctibus anchora.
Cognatoq; tibi sanguine iungitur,
Ad te aut si placet aduoca

Illum. hæc qui ualeant festa decentius
Ornare, haud uideo, copia ubi omnium
Est rerum, este simul. maxima maximis
Semper conueniunt uiris.
At mecum ueniant Otto Lupanius
Vir magni ingenij, uirq; scientiæ,
Et doctus ueniat deinde Cruccius
Vestræ urbis decor, & decus.
Quid stas? euge puer uina capacius
Effunde: & calices ponito maximos,
Et mensas nitidas instrue: odoribus
Fragretq; Assyrijs domus.
Sub Lauro uiridi mensa locabitur,
Illic riuus aquæ murmure desilit
Leni, & terra nitet floribus: & fugit
Flagrantem umbra caniculam.
Natanteis cyathos frigidulis super
Concernamus aquis: Adria si uolet
Cælebs esse, suis cum socijs potest
Huc accedere candida.
Antiquos recitet pectine eburneo
Igneis, furta simul dulcia, iurgia,
Et paces placidas, & querimonias,
Riualesq; nimis graueis.
Hanc lucem uarijs perdere lusibus
Augustam statui, augustior omnibus
Quis scit forsan erit solibus: omnia
Augusta ut ueniant mihi.

AD MVSAS VT POETARVM CAR-
mina æternent.

Ode tricolos tetrastrophos.

Pimplea tandem rumpe silentium
O Musa longum, quum deceat loqui,
Placere quando scis peritis,
Daq; tuis meritos honores.
Aiunt probatam tunc fore gloriam,
Viro à probato si exierit: neque
Maiora possunt comparari
Nomina, quàm moriendo nasci.
Ni uos Camœnæ præcipuis uirum
Ornetis almæ laudibus, inclyta
Mauortis etsi uictor arma
Deferat, aut spolium Leonis,
Tamen sepulcro condet is omnia
Muto: suprema at post sua funera
Nil inde uiuet, nil superstes:
Perpetuus sopor omnia urget.
Tu musa uitam colligis è rogo,
Et sola famam docta laboribus
Præbes poetarum beatis,
Secula perpetua unde uiuant.
Arcus, triumphi, pyramides citæ
Morti obligantur, scalptaq; marmora,
Altæq; moles, & superba
Regna; duces, pereuntq; reges.

Quodcunque uiuit sub Ioue, ducitur
Breui sororum stamine tristium,
Præter Camœnas: quæ supersunt
Qualis auis moritura nunquam.
Quouis minaci rege beatior
Ille est, amicas qui sibi nouerit
Musas, papyris quæ canendo
Perpetuis bene gesta sacrent.
Viso sepulcro Aeacidæ ferunt
Magnum potentis Aemathium ducem
Fleuisse, Achilli haud inuidendo,
Mœonidæ at potius canenti.
Dixisse fertur, inuidus, horrida
Sic uoce feruens, ô Iuuenem satis
Superque felicem, & beatum,
Quem tuba concinuit canora.
O Musa rebus dignior omnibus
Assume laurum: cingeque honoribus
Pulchris alumnos, atque fœtus
Alma tuos, comitesque nostros.
Aequanda priscis carmina seculis
Fundit profundo ex ore Palonius,
Genus Quiritum, siue bella
Horrida, siue canat triumphos.
Chorique sacri dux Vigil, & pater
Dignusque claris Mussus honoribus.
Sed nulli Honoratus dat herbam
Ore loquens italo, ore graio.

Vos an silebo maxima sidera
Mundi Fracastor, tuq; sacer Vida,
Puriq; amatores leporis,
Flamminius, Blosiusq; culti.
Nec te Crucei docte tacebimus,
Qui factus alter Quintilius meis
Es uersibus, comesq; fidus,
Iudicio, ingenioq; claro.
Densis arenis iam numerosior
Turba est canentum carmina: nobilem
Metam sed ô pauci attigere
Vt fugiant piperis cucullos.
Maffæus isto uixit in ordine:
Verum ut tyaræ, & diuitiæ è coma
Dempsere laurum, prô scelus dirum
Odit, & insequitur poetas.
Non hæc Quiritum gloria: pectore
Spreuere qui alto dona nocentium,
Aurumq; tristius ueneno,
Atque leuem populi fauorem:
Omneis Homerus Mæonius dies
Viuet: Maronis, fama & Horatij
Excludit ictus mortis atræ
Lethiferos, & acuta tela.
Donec uolucres oceano in mari uago
Mergentur almi solis equi: & soror
Decrescet, atque excrescet orbi
Semper iniqua: pij legentur,

Surgetq; maior nominis in dies
Laus, & superstes gloria carminis,
Asciti eruntq; semper altis
Ordinibus, numeroq; Diuûm.

CAMILLI CASTILIONEI ET CAterinæ Mandelæ Epithalamij, Præfatio.

Ode Monocolos.

DEductum tenui poema filo
Iam dicent alij, truceis canendo
Pugnas Cæsaris inclyti, & triumphos
Claros, imperio sacro subactis
Germanis, populo non ante uicto,
Aut mortem horribilem, impiam, cruentam
Regis Farnesii, atque regna capta.
Nos horum canimus nihil Camillæ,
Heroum genus at tuum superbum,
Et uirtute potens, potens & armis,
Illustreis atauosq;, nuptiasq;
Vxoris tibi sanguine haud secundæ.
Nec forma egregia, decore, & annis,
Nec uirtutibus inclytis, pudore
Cædit, sed tibi in omnibus pars esse
Dicta, haud uincitur, at nec ipsa uincit.
O par coniugiumq;, coniugesq;
Pares, numine cœlitum iugatos

Quis usquam poterit beatiores
Videre, aut thalamum auspicaciorem?

EPITHALAMIVM,

Ode dicolos distrophos.

VEcta mari Cytherea decens peruenerat urbem
Ad Insubrum pulcherrimam,
Cæsaris egregij ut Gonzagæ, deinde Dianæ
Ornaret alma nuptias.
Dumq; diem expectat dictum sponsalibus, ampla
Trophæa quo componeret:
Ipsa puellarum, & iuuenum studiosa uagatur
Inter choros amabileis.
Quam circunseptæ concretis nubibus almæ
Longe haud sequuntur Gratiæ.
Ad Castilionei uenit ardua tecta Camilli
Virtute multa præditi.
Obstupuit Venus alma uidens astare Mineruam,
Musas simul Libethrides.
Regina Idalij manifesto lumine uera
Apparet omnibus Dea.
Armisonamq; prior iussit saluere sororem,
Dehinc se osculantur inuicem.
Regalem mirata domum pia mater amorum
Laudauit affatim omnia.
Versaq; pugnacem Martem conspexit in illa
Multis triumphis nobilem.

Qui uarios casus, belliq; arcana Camillum
Docebat artifex sagax.
Tota domus uarijs circumnitet artibus, ulla
Nec pars uacat uirtutibus.
Siue opus est telo, seu plectris, carmine, equo ue.
Centum puer hic artium
Omnibus est præsto, nec inanis labitur hora,
Virtute quin se exerceat.
Vtq; diu regina Cypri mirata Camillum
Sic est adorsa Pallada.
Alma soror Iouis orta sacro de uertice, belli
Pacisq;, & ingeni Dea:
In qua tota sedet patris sapientia summi,
Tecum ut gubernet omnia:
Scis mihi connubij munus non sorte tributum,
Magno uolente sed Ioue.
Nam si uirginitas cunctis seruetur, obibit
Breui genus mortalium.
Ipse pater multa impleuit sedilia prole: et
Amat propagari genus.
Pulchra quibus nã cunque placent, et semina ab illis,
Et surculos decerpimus.
Grande nefas, tam tarda trahat connubia pulcher
Iuuenis, adhuc nec sit pater.
Omnia, conuexi quæ sunt sub tegmine cœli,
Aeternitati consulunt.
Ergo chara soror placeant connubia, & isti
Parem iugemus uirginem.

Heroa (ut uideo) satus hic de gente, pauenteis
Dammas Leæna haud parturit.
Hæc Dea sacra tori roseo uix dixerat ore,
Cum Pallas ista subdidit.
Recta mones Cytherea, tuisq; resistere uotis
Nemo ausit usquam cœlitum.
Te duce in innumeras genteis humana propago
Crescit reuoluis ut uices.
Sed mihi nulla toro coniungi Virgo Camillo
Putata digna est hactenus,
Quàm forma egregia iuuenis, quàm corpore pulchro,
Præstansq; quàm uirtutibus.
Iure quidem claro heroum de sanguine cretus,
Genusq; Teucrum nobile.
Nam Troia euersa fatis uoluentibus, oras
Has occuparunt Dardani.
Rex horum posuit Verbani ad littora sedeis
Anglus, uocans Angleriam.
Ilioneus secum deuenerat, & cumulatus
Orator, & regis comes.
Cui genitor Phorbas, quo non præstantior alter
Armis, nec eloquentia.
Explorare locum exierat, quo regna locaret,
Promissa fatis prosperis.
Venit ad Oronam, nitida quæ in ualle fluebat
Herbas uirenteis alluens:
Exuperansq; iugum montis, camposq; patenteis,

Prospexit aprica omnia.
Vnde salubre uidens cœlumq; , situmq; locorum,
Sacrisq; lymphas utileis,
Stans pius ante aras confecit sacra tonanti
Fundens preces humillimâs.
Rex hominũ, rex summe Deûm, qui cuncta creasti,
Recto gubernans ordine,
Respice sancte precor Teucros pia fata secutos
Tot sæua per pericula.
Optatum præsta tandem pater optime finem
Durissimis laboribus.
Auspice te æterna hic da possim ponere regna
Artemq; fandi posteris.
Hosq; pios ritus seruandos, sacraq; Diuûm
Mandabimus nepotibus.
Pingui firma loco tum fundamenta locauit,
Ioue sanciente fulmine.
Deinde suo Castrum Ilioneum de nomine dixit,
Contractum at ætas protulit.
Nam placuit longe melius quàm dicere ab alto
Hoc Ilio inuiso Deis.
Hinc Castilionei soboles per secula multa
Traxit superbam originem.
Pontificum nitida summorum ornata corona,
Galero, & ostro fulgida.
Ex qua permulti, qui perm:tuere tyara,
Sunt præsules castissimi.
Viuit adhuc Brandæ pietas uirtutis alumni.

Thebaldi & est cœnobium.
Interpres legum sanctissimus inde monarcha
Post hos uenit Christophorus.
An ne Senatorem clarum uirtute Philippum,
Dicam ue fratrem Præsidem?
Nec semper celebrem Bona te uentura silebo
Scriptis, & eloquentia.
Hos, inter splendet ceu sidera luna minora,
Pater refulsit Balthasar.
Deliciæ regum qui dictus, parteq; ab omni
Virtutibus resplenduit.
Illius haud cessant claros celebrare labores
Et lectitare principes.
Degener haud gnatus uirtutis at usque paternæ
Est æmulator feruidus.
Ipsa uides bello quàm sit fortissimus heros
Materno & ipso à sanguine.
Hyppolita insigni Taurello à stemmate mater
Regina uelut Amazonum.
Est Taurella potens gens armis, Guido rebellem
Dux contulit Neapolim.
Hinc & Amarotus præclarus, Marsiliusq;,
Clariq; Guidones duo.
Compluresq; alij, quos longum dicere, nosti
Sat est Camilli originem.
Ex quo illi optarim connubia læta, paremq;
Toro iugare uirginem.
Tunc Venus, haud tua cura soror: sua munia nouit

Quiuis Deûm, & mortalium.
Est mihi pulchra satis, nulli uirtute secunda
Virgo orta stirpe regia.
Nulla licet facie pulcherrima, moribus atque
Huic digna compararier.
Hanc nosti, hancq; nouem pariter nouere sorores,
Sacro choro dignissimam.
Seu radios agitare manu, seu pingere Phryge
Acu uelit, doctissima est.
Pollice pensa trahat tenui seu pendula filo,
Inuisa Arachne est doctior.
Siue citis digitis cytharam, siue organa tangat,
Canatq;, sistunt flumina.
Siue etiam fingat felicia carmina, doctam
Deuincet ipsam Lesbiam.
Et quæ uirgo decens hac tempestate, uel urbe
Has nouit arteis nobileis?
Pallas ait, Cytherea refert, Catherina propago
Mandelico orta sanguine.
Illustris soboles Romana, ac gente Sabina
Sata est, uirisq; splendidis.
Quodq; ab originibus gens sit Mandela Sabinis,
Mandela pagus indicat.
Relligione potens, armisq; potentior, ipse
Testis Quirinus est pater.
Nanque recepit eos percusso fœdere pacis
Regni esse consortes sui.
Annorum serie hi longa sua regna locarunt.

Insubrum in oris optimis.
Oppida deq; suo dixerunt nomine, uicos
Hac urbe necnon nobileis.
Casu urgente graui Tatius dux inde creatus
Qui Federicum contudit.
Dum Mediolano gens transq; padana minatur
Ottone rege concidit.
Insubres coeunt, secum Emilia, Vmbria parca,
Vbertus his dux dicitur.
Otto Gigas dictus profligat marte secundo
Et Federicum, & copias.
Ottinus comitis uirtutum totius usque
Præfectus est exercitus.
Tertius eiusdem uexillum gesserat Otto
Qui strenuus uir extitit.
Quartus concilium ad tutandum, & relligionem
Otto à Philippo mittitur.
Quintus at ex meritis Otto donatus ab Anglo
Insignibus regalibus.
Arnus adhuc pontem Rubiconis sustinet, atque à
Ioanne Ticinus tenet,
Otto auus est sextus perpulchræ uirginis huius
Inuictus armis & toga,
Principibus multo à summis decoratus honore
Et semper illis intimus.
Hinc Bernardinus pater inclytus ordine equestri,
Comesq; uir clarißimus.
Insignis bello, insignis pace, atque triumphis,

Fandiq; magnus artifex.
Inde duo, est alter fulgens uirtute, Iacobi,
Alter comes præstantior.
Quid loquor? haud fari liceat quando omnia, iuncti
Summis uiris sunt sanguine.
Innumeri innumeris fulserunt dotibus, unum hoc
Dicamus heroum est genus.
Romanus fuerit quantus Sertorius armis,
Nouere tellus, æquora.
Hac mater de gente decens, cui plurima laus est
Inter pudicas fœminas.
Vnde parare nequis soror alma decentius, & nec
Connubium auspicatius.
Hanc pollens matrona etiam pulcherrima magni
Rhaudensis uxor nutrijt.
Paula tuis decorata bonis, genus Anguigerorum,
Fœcunda prole nobili.
Sola fere nostris mulier celebranda diebus,
Virtute, uultu, moribus.
Tunc Bellona, Soror tua te sententia fallit.
Negat puella hæc nuptias.
Virgineo tantum gaudet candore, mariti
Abhorret à connubio.
Sæpe tui hæc pueri reiecit tela retusa.
Facesq; mersit flumine.
Frigidius glacie pectus tenet inclyta uirgo,
Solis uacat uirtutibus.
Spes pascis uanas, perdisq; Ericina labores,

Hæc est iuganda nemini.
Nec tibi uana loquor, dudum mihi cognita uirtus,
Et tota uita uirginis.
Sic aliò mentem diuertere iam potes, ultro
Choro est dicata Virginum.
Sit mea cura Venus dixit mollire puellæ
Pectus dolis, uel artibus.
Tu faueas tantum, noliq; resistere amori:
Ambo iugum iam iam trahent.
Iam faueo, & uotis præsens tua uota secundo:
Vterque dictus est mihi.
Iam ualidos laqueos Venus alma parabat, et arteis,
Cupidinem desiderans,
Forte polum spolijs qui tunc repetebat onustus
Victoriæ Farnesiæ.
Quem Venus immisso signo reuocauit ab æthra,
Fouitq; defessum sinu.
Hic Martē cernens, pulchra et cum matre Mineruā
Sacrasq; Musas, substitit.
Mox iuuenem egregium præstanti fronte, decorum
Bacchum, aut putans Apollinem,
Compellare parat roseo puer ore parentem,
At occupauit hunc Venus.
Dulcis nate, piæ qui nunquàm iussa negasti
Matris tuæ capessere,
Qui Diuûm, qui corda hominum lacerare sagitta
Doctus, nec ulli parcere,
Nullus Diuorum te maior, quando tonantem

Tuis trahis sub legibus:
Non uincenda minor, quam sit Victoria, uirgo,
Clarum trophœum construes.
Quæ modo Rhaudensis colit alta palatia charis
Orbata dum parentibus.
Pro patre Rhaudensis gessit se Carolus, illi
Ceu mater uxor extitit.
Est Rhaudense genus procerum spectabile semper,
Toga, uel armis splendidum.
Hanc habitat Catherina domum lectissima uirgo
Quæ te prius neglexerat.
Vade age, & auratam pharetra deprome sagittam,
Et dura corda percute.
Vsque adeo uibra, donec parere iugalis
Lecti parata legibus.
Sed prius audaceis animos deflecte Camilli.
Qui iussa carpsit illicò.
Et iuuenem incautum telo perfodit acuto
Vacantem honestis artibus.
Dehinc rapido gressu Catherinam cõuenit audax,
Feritq; cornu improuidam,
Quæ, ueluti pascens herboso in gramine Cerua
Correpta ferro concidit,
Inscia lethalis teli, & perterrita nescit
Causam, timet, tremit, fugit,
Sic generosa nouo, & crudeli uulnere uirgo
Perculsa mente decidit.
Spernit acum, spernit radios, nec tangere plectra

Curat: nec escis uescitur.
Sed trahit eximo suspiria pectore muta,
Amatq; quem nesciuerat.
Sæpe status causam petit hæc oblita prioris
Cur tam repente: & ingemit.
Gaudet amor præda qualis uenator: & ornat
Iam iam triumphum nobilem.
Hinc celeri ad matrem torquet uestigia gressu,
Factumq; ad unguem nunciat.
Vt iuuenem ualidum prostratum cernit amore,
Vltra nec arma tangere,
Miratur Bellona potens, mirantur & ipsæ
Sacræ sorores, & stupent.
Tunc Venus, ô summi regis sapientia Pallas,
Perducta res ad cardines.
Si cupis, expediam: neque enim deducere fas est.
Maligna semper est mora.
Quid stas Pallas ait, subito quin conficias rem
Languent ubi hi fortißimi.
Aurea magnanimum tunc Cypria cædere Martem,
Ne turbet, orat, nuptias,
Aut mage, si placeat, ferientia tela reponat,
Indicat armis ferias.
Ille memor prisci ardoris, mox iussa facesßit,
Totusq; comis cernitur.
Virginibus iußit sacris Tritonia carmen
Vt nuptiale concinant.
Hinc Castilionei generis primordia, Teucrum

Qui sanguis altus, differant.
Et Mandelorum celeberrima facta per orbem,
Ducesq; dicant strenuos.
Pars & adhuc lumbis prolem cantare latentem,
Futura & arma fortium.
Connubium ast aliæ celebrent, & ludicra dicant,
Risus, iocos, facetias.
Atque optare dies felices, Nestoris annos
Nullis graucis molestijs:
Vt uideant charam sobolem, dulceisq; nepotes,
Satos & à nepotibus.
Interea Charites properarent alma Dione
Ad uirginem mandauerat.
Atque Deum præsens numen uiolabile nunquam
Dicant, paret se nuptijs.
Et genius, & iuuenis formam, moresq; probatos,
Illi ferant ex ordine.
Nec Paulam lateant diuina arcana, sed ipsa
Tutis reponant auribus.
Vt ueniente choro Diuorum instructa superbe
Sint cuncta luxu regio.
Fama uolat subito uolucris, Catherina Camillo,
Heroo ut heroina datur.
Vnde proci innumeri, qui exoptauere puellam,
Spe decidunt à credula.
At Nymphæ ex omni collectæ flumine grata
Deferre dona comparant.
Carolus interea Rhaudensis splendida cultu

Regali adornat atria.
Atque tegit muros precioso murice, & auro,
Pannisq; mensas sericis.
Paula parare torum Ioue dignum, Gratiæ at ipsæ
Ornare lectam uirginem.
Quo cultu Cytherea solet, quum Iuppiter ampla
Dijs instruit conuiuia.
Iamq; puer, iam pulcra Venus, iam docta Minerua
Quas inter incedit iuuenis,
Musarumq; sacer chorus, & mox ordine longo
Nymphæ sequuntur simplices,
Floribus ornatæ, preciosaq; dona ferentes,
Torques, lapillos, annulos,
Et quas concha parit gemmas pro crinibus auro
Circumligatas fulgido.
Pars etiam flores spirantes semper odorem
Gratum ferunt, & Cynnama.
Diuersæ diuersa gerunt, sua munera quæuis,
Solum ut creabat patrium.
At postquam ingressæ auleis sunt atria pictis
Ornata cernunt undique,
Instratosq; toros Regum & sedilia Diuûm
Vt hinc Deæ considerent:
O nimium Virgo nimium decorata Dearum
Præsentia immortalium.
Tuq; potens iuuenis cunctis felicior extas
Tantæ iugatus uirgini.
Iam prodi ô uirgo, nec te expectarier ultra

Velis, ſed exi candida.
Candida uirgo ueni, nec ſpernas munera Diuûm
Quæ te beare ſanciunt.
Virgo ueni, nec uirgo diu uocitanda, ſed uxor,
Et ſponſa, moxq́; eris mulier.
Sed neque uirgineum deperdes uirgo pudorem,
Datur uiro cuſtodiæ.
Illa negat, ſeſe dicit uouiſſe Mineruæ,
Nec uelle uotum ſoluere.
Tunc Bellona, *Deûm neu ſis contraria uotis,*
Hæc eſt uoluntas Palladis.
Illa ego ſum Pallas, Venus *hæc, puer iſte* Cupido,
Ne iuſſa Diuûm *deſpice.*
Sidereos pudibunda ſolo deflexit ocellos,
Ruboreq́; infecit genas.
Candidum ebur ueluti conchili ſanguine ſparſum,
Tinguntur ora Virginis.
Iamq́; faces noctem ſuperãt, reſonantq́; Hymenæum
Iam cuncta, dum iugalia
Verba refert regina Paphi, *iuuenũ quoque dextras*
Complexa iungit, atque ait,
Sunt opera noſtra connubia tanta peracta
Fauſto, atque dextero omine.
Viuite fœlices, nec uos fraudate uicisſim,
Amate amore at mutuo:
Signiferum Phœbus *citius nec circuat orbem,*
Quàm des puella filium.
Iam ualida aſsiduo membra exercete labore

Domum replete heroibus.
Dixerat, & Nymphæ de conchis fundere odorem,
Floresq; puniceos solo.
Mollia tunc Musæ Bellonæ iussa capessunt,
Diuina fantes carmina.
Qualia mortales nunquam audiuere, nefasq;
Tractare nobis talia.
Hinc Bellona, chorusq; sacer, Nymphæq; decentes
Abeunt precantes prospera.
Non fas uirginibus fuerat spectare quod ultro
Sponsi, atque amantes appetunt.
Sola Venus spolijs instat, gaudetq; potitis
Signans trophæum carmine.
Mandelæ hoc spolium Catherinæ nobile, raptor
Coniunx Camillus extitit.

Finis primi libri.



ANTONII CERRVTI NOVARIEN sis Carminum Liber secundus.

AD PHILIPPVM CAROLI Cæsaris Filium.

Ode dicolos distrophos.



Essus ubi eximio magnarum pondere rerum,
Es feriatus paululum.
Orbis & ingentis regimen seponis, edaceis
Curasq; fugis atrum genus:
Parua legas rogitat Cerrutus carmina, magni
Parentis acta splendida.
Europa imperio cuius uirtute subacta,
Et Africa armis horrida.
Aemulus eximiæ uirtutis tuq; paternæ
Trophæa spondes maxima.
Nam superanda tuis Asia armis: illa triumphos
Tibi parauit nobileis.
Tunc cytharam, & plectrum paries retinebit: et ære
Dicam canoro prælia.
Aurea tunc terris succedent secula: Iani
Claudetur ædis ianua.
Et tibi, ceu Diuis reddentur mascula thura,
Magnoq; patri Carolo.

AD CAESAREM.

Ode dicolos distrophos.

SI sic nota tibi mea
 Virtus, fama polo ceu tua splenduit:
Si innotesceret & tibi
 Cæsar noster amor, gesta uelut tua
Orbi strenua maximo
 Me dicente triumphosq;, trophœaq;
Imbelli cythara, hostibus,
 Deuictis: niueo candidior Cygno
Pennis aera finderem.
 Confisus proprijs uiribus audeo
Si lustrare polos uagus
 Ambos: quid facerem, si domina alitum
Me gestaret auis super
 Alis fulua suis? terra, mare, æthera
Vocem non caperent tubæ
 Cantantis celebris prælia Cæsaris.
Sed quò thracius Orpheus
 Descendit modulans, ipsaq; sidera
Transirem auspicijs tuis.
 Sublime ingenium uatibus afferunt
Reges purpurei, fouent
 Dum illos, inde parant hi sibi gloriam
Maiorem, atque perennius
 Nomen. Magne igitur Cæsar honoribus

Ornato egregijs tuum
Vatem, ciuem etiam sub solio tuo.

AD ROMAM IN REDITV ex Africa.

Ode tricolos tetrastrophos.

QVæ solues superis uota potentibus
Vrbs magni in reditu Cæsaris? Africa
Deuicta, duce pulso
Prædonum è libyco solo:
Paucis militibus regna Tunetia
Viq; arcem tenuit quæ sita in æquore:
Et terdena uirorum
Tetro millia carcere,
Vinclisq; eripuit uictor ab horridis.
Pyratis uacuum dehinc mare reddidit,
Auxit sacra, foresq;
Occlusit gemini Dei.
Vnde est orta quies, atque Italis salus,
Et qui oras habitant fortis Iberiæ,
Qui littusq; Sicanum,
Cunctis usque fidelibus.
Hic maiora tibi commoda contulit,
Quàm priscis patribus Scipio, funditus
Quamquam mœnia Byrsæ
Altæ subruerit ferox,

Iam sacris animum intendere, & otio
Securo poteris libera: iam choros
Festos ducere, regnat
Terris alma ubi Faustitas.
Nulla unquam poteris congrua munera
Illi uel meritas reddere gratias,
Diuorum nisi honores,
Atque altaria consecres.
Aras, thura, focos ponite, splendidas
Mensis inde dapes, uinaq; massica,
In morem Saliorum
Cantemus modo Cæsarem.

AD MARCELLVM PALONIVM

De laudibus Alfon. Dauali, & Cæsaris.

Ode tricolos tetrastrophos.

MArcelle gentis gloria martiæ,
Phœbi sacerdos, Pierij & chori,
Qui crine Daphnes illigaris
Impositum mihi onus resume.
Secanda non sunt lintribus æquora
Sæuis procellis turgida, nec lyra
Molli canenda sunt cruenta
Prælia, nec Dauali triumphi.
Regum cathenas quis bene scripserit
Ticini ad undas? quis spolia, & Duces
Captos? quis Alfonsum inter igneis

Impauidum, atque inimica tela.
Turcas ad Istri littora compulit,
Hic terga nostro uertere militi
Astante Carolo, uolucri
Ceu borea quatiente nubes.
Regnum Tuneti Cæsar, & Africum
Fregit redemptis innumeris uiris,
Hoc suggerente arma, hoc opemq;,
Tela Ioui domina ut uolucrum.
Hic & superbos exuuijs Ducum
Gallos repressit, diruit oppida,
Hinc te iubente Cæsar alta
Pace Itali potiuntur, adsis
Tutela præsens, præsidium, & decus,
Fractiq; dudum spes populi itali.
Donec nitescet clara nobis
Lux tua, nulla mala imminebunt.
Vltro metallo ferrea principi
Hæc cedet ætas. ô patriæ pater,
Orbis pater, uincas & annos
Nestoris, & domineris orbi.

AD AEOLVM PRO CAESARE nauigante:

Ode dicolos tetrastrophos.

ADuentare parat per freta turgida
In portus Ligurum Cæsar Iberia,

Maumeti indomitæ ut fræna licentiæ
    Ponat Danubium prope.
Vt pastor niueo cum grege liberos
    Per saltus nemorum, per iuga montium,
    Securusq; sata, & prata uirentia
    Erret, pascua quæritans.
Ventorum unde pater, qui mare naufragum,
    Nunc altis resonans fluctibus, æstuans
    Nunc austris rapidis, nunc aquilonibus
    Surgens, sternere diceris:
Et dura retines præcipitem africum,
    Et flanteis socios compede, laberis
    Curru ceruleo dum super æquora,
    Atque undæ placidæ silent.
Da uentos facileis, da placidum mare,
    Da optata Ausoniæ littora Cæsaris
    Classi, da superet sæua pericula, &
    Quicquid pontus habet mali.
Plus quàm par fuerat punico in æquore
    Fractis sustinuit remige, linteo,
    Disiecta à trucibus classe aquilonibus,
    Clauo, malo etiam sine.
Centum pro meritis tergora candidis
    Taurorum feriet: Nereidum choro
    Nos agna tenera, quæ modo ab ubere
    Matris, rapta litabimus.

AD PAVLVM IOVIVM, VT GE- sta Cæsaris scribat & Madrucij.

Ode dicolos distrophos,

Aiunt paratos esse equos celerrimos,
Classeisq; magno Cæsari:
Hinc copias peditum, & equorum plurimas,
Spirantibus Zephyris nouis,
Diros ad istrum ut conterat, perdat necantis
Turcas: uelut rapax auis
Lacerat columbas debileis, pacem & pio
Generi, ac Deûm firmet sacra.
O te beatum, sunt parata cui otia,
Licetq; uitam ducere
Multis papyris, ô Ioui quales tibi
Agent nepotes gratias.
Ab his recludit me facultas debilis,
Lucens nec assidue focus.
Inseruio dum purpurato principi,
Auita consumpsi bona.
Latetq; me an sit Fatum, & an princeps, scio
Non posse falli numina.
Nobisq; quòd porrexerint boni aut mali,
Aequo ferendum animo uenit.
Nec quid noceat, aut conferat, præuidimus,
Norunt bene hi quibus homo eget.
Et quo uocarint nos, sequendum est illico,
Virtute semper præmia.

Fortuna fallax quæ negauerat prius,
  Post hæc benigna offert manu.
Nec semper urgent nauium fluctus latus,
  Nec semper illices noti.
Vnde intimas curas, dolores & graueis
  Lenire lusibus iuuat:
Obliuiones liuidas nec carpere
  Nomen sinamas tam fugax.
Iniqua tempora ego canam, tu Cæsarem
  Inscribe chartis candidis.
Neque hic marinæ nobili Thetidis, neque
  Cedit Philippi filio.
Apollinari ornandus estq; laurea,
  Martisq; curru concito.
Intexe chartis sceptra quæ mox proferet
  Ad usque terras ultimas.
Intexe facta clara Madruci pios
  Vates iuuantis largiter.
Hos hic remotis euocat de partibus,
  Aeternet ut gesta inclyta.
Quid gloriosius uiro euenit bono,
  Quàm nasci in ipso funere?
Hac lege Mecœnas, hoc Augustus pater
  Arces petiuit ordine: ubi
Aeternus optimusq; uiuet secula
  Futura uatum munere.

IN DETRACTORES CAESARIS,
quòd fœdus cum Anglo Rege inierit.

Ode tricolos tetrastrophos.

Parcat proteruis uocibus obloqui
Quæcunque sacrum carpere Cæsarem
Lingua ausa dirum iniisse fœdus
Cum truce, sacrilegoq; rege.
Qui fana Diuûm iussit edacibus
Flammis aduri: qui quoque principes,
Patresq; sanctæ prô fidei
Horribili gladio ferire.
Sensus profondos uolucre te fugit
Os ô profanum pectora Cæsaris?
Tarsensis hæc iussit magister,
Vnde animos traheret rebelleis.
Regem Tuneti uidi ego frangere
Focos, & aras cum patrijs Deis:
Et corde puro, suppliciq;
Pectore, marmora alta lætum
Tranare summi principis ad pedes,
Legisq; præcepta optima: flumine
Mergiq; uiuo: & hinc renasci
Cum populo innumero petentem.
In sede, qualem Pontificem decet,
Iam cerno Paulum maximum, & optimum,
Sacroq; Cæsarem leuare
Fonte pium genus, ante durum

Heroa magnum Farnesium sacros
Cerno liquores fundere, & inclytum
Madrucium, Auriamq; monstra,
Perdere saeua maris potentem.
Dux hunc sequetur Cosmus Hetruriae
Florentis alto pectore, sed gener
Perpulcher Augusti praeibit
Indole purpureus decora.
Hos surget inter dux Daualus, comam
Ceu pinus inter sustulit arbutos.
Reges minaces hinc, ducesq;,
Et cunci procerum stupentes
Stabunt, uidentes fortia pectora
Mollire Poenum Caesarem, & optimas
Sanctasq; leges nigro ab Afro
Et sitiente pie receptas.

AD DEOS NEMORVM PRO ALfonso Daualo uenante.

Ode monocolos.

VEnatum parat ire magnus ille
Heroum Daualus genus superbum.
Vos unde ô nemorum Dei, Deaeq;
Custodes, rogito feras opacis
Lustris non retinete delitentes,
Illas reddite sed solo patenti,
Vt cursus celereis canum fugaces.

Cerui inde experiantur, hos & illos
Oblectante animo aggere eminenti
Miretur Daualus sedens in acri
Equo, murice, pernitente & auro:
Hunc flectat facili potens habena:
Currenteis modo uincat, & retardet,
Calcem aut calce terat, canesq; segneis
Incuset ualido ore, iò iò q;
Clamet, præda, citi citi huc adeste,
In casseis ruit, huc adeste, præda.
Hunc arce excipiet Comes Brionæ
Qua reges soliti hospitalitate.
Ludorum omne genus, ióciq; sunto,
Nec desit fidibus uelim canoris
Aureis iudicio graueis canendo
Qui permulceat: inclytos triumphos
Et regum spolia, & ducum trophœa,
Seruatam Ausoniam inde pace, bello,
Caroli auspicio, & manu potenti
Alfonsi referat, canatq; laudes.

AD ALFONSVM DAVALVM DE *fuga Aenobarbi.*

Ode dicolos tetrastrophos.

DIgne ô Dux Dauale & carmine Homerico
Felici æneidos uateq;, non lyra
Molli, quæ apta magis dicere amantium

Seu ſint iurgia, ſeu faces.
Martis quis poterit prælia ſcribere,
Miſcentemq; Iouem bella gigantibus?
Ni cinctus folijs tempora Delijs,
Rore aut pierio madens?
Quantum Roma ſeni, contudit impetum
Qui Afrorum, & Furio qui ſpolia abſtulit
Victorum, populo reſtituens ſuo
Aurum, ſignaq; Gallica:
Tantum Alfonſe tibi relligio, fides,
Diuorum pietas, imperium ſacrum,
Et paſtor niueo cum grege maximus,
Debent purpurei & patres.
Turcas innumeris quis modo copijs
Nicæos populos, littora, mœnia,
Deuaſtaſſe truces neſciat? italum ut
Tollant robur, & oppida
Euertant: pueros cunque parentibus
Abducant miſeris: atque tenacia
Compellant iuuenes uincula perpeti,
Et remis mare findere.
Quid cædes memorem? templaq; diruta?
Stupra aut turpia, conuerſaq; feruidis
Flammis in cineres tecta? quid? omnia
Senſere exitium graue.
Omnis noſtra lupis præda uoracibus
Res: mortis gelidæ nos quoque filij,
Et iuſsi canibus dilaniarier

Diris, atque auidis feris,
Ni fortis ualido milite præditus
Cursasses aquilone ocyor, arduas
Quum nubeis rapidus dissipat: impium
Prædonum dominum, & ducem
Longe finibus expellere ab italis
Ceu nidos coluber lubricus alitis
Deuastans iouis: & mox sonitum audiens
Alarum pauidus fugit:
Aut rostro lacerus uiscera corneo;
Aut trunci cauea, aut frondibus abditur,
Dimotasq; notis expauet arboris
Frondeis, & latebras petit.
Te aduentante fugam sic rapuit citam
Electi generis perfidus, & potens
Hostis: uixq; pedem è limine traxeras
Quum se præcipitem africo,
Et classem dedit, haud uincula soluere
Sed truncare iubens: inualidos pede,
Et tardos spolijs, febribus & graueis
Ponti in littore deserens
Clamantes socios: qui celerem fugam
Et turpem ualidis uocibus increpant,
Occumbant gladijs nescij an hostium, an
Altis fluctibus oppetant.
Quid si terribilem, & fulmineam tuam
Vidissent faciem? quid ualidas manus
Si experti celebreis tot spolijs ducum

Tot regumq; minantium?
Hæc sunt facta duce, atque auspice Cæsare,
Hæc uirtusq; tuorum inclyta, gallicas
Qui fregere acies Ausonio in solo
Iunctas Solimano impio.
Gallorum heu pietas: nomen ubi heu pium
Regum? tot pretijs, tot quoque mortibus
Partum: relligionis sacræ ut immemor
Turcæ præsidium petat.
Quas strages hominum, quæ modo funera
Rex Francisce paras & populo, & tibi?
Cur demens potius non reuocas pedem,
Regnis ut bene consulas.
At tu terra ferax Italia, & caput
Belli, & causa mali: quæ modo debeas
Alfonso referas? qui ora uoracium
Regum contudit, & minas.
Quòd seruas animam, quod patriam tenes,
Et charos genitos, aruaq; pinguia,
Te exercesq; bono libera in otio,
Hoc munus Dauali est Ducis.

DE PACIS FOEDERE INTER CAE sarem, & Gallorum regem percusso.

Ode tricolos tetrastrophos.

AVditæ ab altis carmina rupibus
Pacisq; summis fœdera montibus

Musæ canentes, usque pace
Aethera, pace solum replentes.
Pax é supremo progenita est bono,
E pace & ipsum progenitum bonum:
Bonum unde non est absque pace,
Absque bono potis esse nec pax.
Mortale crescit pace genus: Ioui
Et thura dantur mascula: pace bonos
Maior Deis habetur: artes
Pace uigent, coliturq; uirtus:
Et pace moles urbium, & oppida
Tolluntur alte: terraq; uomere
Domatur hirsutis reuulsis
Vepribus, et tribulis malignis.
Tutum uiator non pauidus capit
Iter, latronum nec gladium pauet,
Non prædo nautis est timori,
Nec populo modo littorali.
Ergo bonorum pax erit omnium
Mater, creauit quam pater optimus:
Qui pace cælum, pace terras
Composuitq;, regitq; pace.
Superna pace & corpora siderum
Inferna seruant, nec loca transeunt
Sortita fatis: pace suetum
Officium peragunt, tenentq;.
Reges superbi, composuereq;
Menteis rebelleis, pace animos pia

Iunxere duros, hinc reponunt
  Dira odia, atque grauem furorem.
O pace regum candida pectora
  Perfusa sacro rore, minantia
  O corda bellorum tumultus
  Conciliante Deo quieta.
Vestris repostis litibus Itala
  Firmata regna, & Gallica pinguia
  Effecta, Cæsar terminos nunc
  Proferet imperij priores.
Armata iam iam cernimus agmina,
  Dirumq; Turcam pectora saucium
  Vitam uomentem, & spiritum, ne
  Cæsareum decoret triumphum.
Non miles ultra furta, neces, dolos,
  Stupra, & rapinas sacrilega manu,
  Bellum, nec arma luctuosa
  Perniciem populis minatur.
Iam pace gaudent omnia: Cæsare
  Regnante surgunt aurea secula:
  Tristes recesseruntq; curæ,
  Pace graues abiere morbi.
Sacris uacandum, pinguis & hostia
  Mactanda Diuis, sollicitæ preces
  Dandæq;, Cæsarem ut parentem
  Dij patriæ tueantur almi.
Iam prisca surgit relligio pia:
  Diuûmq; regnabit pietas, erit

Iam pastor unus, unum ouile,
Idq; sacri cecinere uates.

AD OMNEIS DEOS PRO CAESAre bellante contra Germanos.

Ode dicolos tetrastrophos.

Dii, quibus sedeis placidas parauit
Optimus cæli pater, atque rector
Gentis humanæ, & dominator orbis,
Este precanti.
Este, nec surdas teneatis aureis
Nunc pij uestro generi, nec atras
En precor culpas, nec iniqua facta at-
tendite nostra.
Nos opus magni Iouis esse nostis,
Nec suos perdunt genitos parentes:
Vasa nec frangit figulus, nec odit,
Quæ bene finxit.
Semper authori proprio labores
Assolent curæ haud minimæ esse clari.
Nos uices contra similes tenemur
Reddere amoris.
Sed quia infirma, & uitiosa nostra
Mens nequit summo meritas referre
Gratias regi, atque preces, clientum
Sumite uota.
Impias culpas simul expiate,

Et scelus dirum, assiduisq; regum
Omnium regem precibus, piaq;
Voce rogate.
Ille conuexi moderator orbis
Flectitur castis tacitisq; Diuûm
Vocibus, necnon pius ipse nostra
Vota secundat.
Quam precer causam melius precante
Nostis, & rerum graue pondus ad uos
Attinet, nam est relligionis, estq;
Causa Deorum.
Cæsar heroum genus in rebelleis,
Qui pios ritus pietatis horrent,
Oblinunt & qui simulacra uestra,
Arma parauit.
Hi crucis sanctæ celebrem triumphum
Abnegant, diri, & ueneranda sacra.
Hi Deos, sacrosq; homines lacessunt
Ore profano.
Non malis tantis saturi minantur
Cæsaris late imperium occupare,
Inde Germanos rabidus tyrannus
Concitat omneis
Saxonum Dux. hi capiunt feroceis
Cæsarem contra patrias secureis.
Phana Diuorum, bona Cæsarisq;
Omnia perdunt.
Hæc pias matres, simul & maritos

Turpis infecit scabies, tenellam
Hæcq; turpauit sobolem, & nepotes,
Deinde magistros.
Vnde sanctorum penitus reiecta
Sunt sacra, heu tantum inualuit lues hæc
Dira, & ingentem peragrauit orbem
Atque subegit.
Cæsarem seruate Dei potentes:
Virgines lectæ, & pueri, & parentes,
Vos sacerdotes, humilesq; matres,
Rite precantur.
Victor antiquos pietatis almæ
Reddat ut mores, reparetq; lapsa
Templa, Diuûm aras, & imagines, &
Sacra reponat.
Quo die laurus dabitur, rebelli
Gente deuicta imperio, quotannis
Hostias centum feriet litando
Cæsar ad aras.

DE BELLO GERMANICO, ET
Cæsaris uictoria.
Ode tricolos tetrastrophos.

RVrsus profanum uulgus inania
Latras, nec usquam desinis obloqui,
Iniusta quòd suscepit arma
Cæsar in imperij rebelleis.

Vesana ueriq; inscia pectora
Ignaua cellis in calidis, mero, &
Somno sepulta corda, regem in
Vestrum odia, & gladios parastis?
Greges magistro prælia ne inferunt?
An uasa surgunt in figulum suum?
Nati an parentibus rebelleis?
An famuli dominis minantur?
Tu ne has teneris reddere gratias
Regi tuo Germania perdita?
Honoribus qui te, & peramplis
Muneribus decorauit ante.
Qui pace longa te uoluit frui:
Regnis subactis undique liberam
Te iussit, & denteis luporum
A pecore, & stabulis remouit.
Seruaret ut te, se opposuit truci
Hosti piorum Danubium prope,
Multis trophæis insolentem
Vertere terga tuis coegit.
Ah uera dicam, sæpius obfuit
Regis boni indulgentia subditis,
Puerq; fit persæpe amore
Deterior nimio parentis.
Effecta pinguis perfida calcitras,
False sub umbra relligionis, &
Crucis trophæum, & templa, diuos,
Vsque negas pietatis arma.

Resperſa paſsim iam agmina militum
Cerno rebellum ſanguine, Martia en
Inuicta uirtus, quæ rebellem, &
Sacrilegam toties refregit,
Quam ductat Auguſti gener inclytus
Te contra, & urget robur Ibericum,
In nos ſecureis quas pararas
In te Aliprandus eas retorquet.
Cantare quid nunc differo ubi impius
Fugit tyrannus, ceu lupus inſolens
Quando moloſſos, aut lacones
Audijt, & ſtrepitum inſequentum,
Iò triumphe en quid moror amplius
Cantare magno Cæſari & optimo,
Iò triumphe nobilis, tuq;
Aureee currus iò triumphe.
Victor per urbeis Cæſaris ambulat
Miles rebelleis, Cæſar & anteit
Spectandus in certamine acri
Sacrilegos ſuperans tyrannos.
Nubeis malignas ceu boreas potens,
Quando occuparunt æthera, diſsipat:
Totoq; cœlo audens uagatur,
Purius & nitet omne ſidus.
Aut cum proteruis fluctibus æſtuat
Fretum, ruenti præcipiti africo, at
Surgente Neptuno tridenti
Sternitur, & placidum quieſcit.

Iustas securcis, an modo concinam
Clementiam altam Cæsaris? horrida
An bella? pugnas an cruentas?
An mage consilium imperantis?
Atris procellis in mare naufragum
Quid Musa iactas me fragili rate?
Non hæc canenda sunt iocoso
Pectine, sed sonitu tubarum.
Dices triumphos tu melius lyra,
Currusq; & arcus Cæsaris aureos:
Iò triumphe ergo canamus:
Contudit imperij rebelleis.
Iò canat Germania Cæsari
Victori, iò lætum Ausonium solum
Collo repulsa nunc securi,
Relligioneq; restituta.

EPINICIA IN VICTORIA CAESA *ris contra Saxonum Ducem.*

Ode dicolos tetrastrophos.

I Puer testam relinas Falerni
Optimi, necnon cyathos capaces
Pone, nec festis dapibus cadis ue
Parce repostis.
Sume uerbenas, & Adonis orna
Frondibus posteis, uiridiq; lauro
Sparge fragranteis mihi quos Neæra
Misit odores.

Inde eam tecum ueniat rogato,
Quo solet cultu melius placere,
Et misellorum uaga corda flammis
Vrere amantum.
Scire si causam uolet apparatus
Splendido luxu, memora furentes
Quanta Germani imperio pericla
Dijsq; pararint:
Tollerent pulchrum crucis ut trophæum,
Et sacros ritus, simulacra, & aras,
Tam nefas dirum modo Cæsar ultus,
atque scelestum:
Saxonum Regem Imperio rebellem,
Cumq; eo infidos populos, & urbeis,
Dura non sueto iuga ferre collo, &
Frœna coegit.
Algidi curuum prope littus Albis
Saxonum dirus dominator, atque
Totius motus caput, usque fracto
Milite captus.
Vincla quæ sacro imperio minatus,
Perfidus sentit, genitumq; cernit
Sanguinis riuos, animamq; tetro
Ore uomentem.
Pulchrior nulli datus est triumphus,
Hactenus, maior neque gloria ulli
Parta, uictorem neque Laurus ornat
Dignius ullum,

Quosq; uix annis domuere multis
Cæsares dudum uario superbos
Marte Germanos, hyeme en subegit
Carolus una.
Pauculis turmis equitum die uno
Post iter longum, rapido & profundo
Amne tranato citus insolenteis
Contudit hostes.
Voce quod Cæsar cecinit superba,
Pharnacem postquam domuit rebellem,
Carolus dicet melius subacta
Gente feroci.
Desinant Germanici abhinc uocari
Cæsares prisci, domita minori
Parte: deuicit modo marte duro
Carolus omneis.
Vnde nunc Germanicus est uocandus
Iure præ cunctis alijs: potenti
Africa uicta simul Africanus
Est uocitandus.
Tuq; ut inscribas memor esto nostro
Limini, fuluo hæc monumenta in auro,
Cæsari Germanico, & Africano,
Mox quoque Daco.
Prisca regnabit pietas, fidesq;.
Confici hinc Diuûm sacra iussit aris,
Et resarciri labefacta templa
Lapsaq; poni.

Haud truces ultra metuemus enseis:
Sed notis curas dabimus: fruemur
Otio dulci, uacui regente
Cæsare terras.

His uelim lætis epulis Palonum
Esse, nec non Flaminium, disertos:
Alter adducet celebrem Lycorim,
Alter Hyellam.

Quæ uelut pulchræ Veneris sorores
Voce cantabunt liquida domum altam
Austriæ, nec non genus ab Ioue, orbis
Iam domitricem.

Caroli pugnas celebres poetæ
Concinant æris sonitu canoro,
Ast ego arguto recinam triumphos
Pectine claros.

Vade, fac recte studeas parentur
Cuncta; nunc summis uacuũ à gerendis
Cæsaris rebus cuperem Taberna, &
Saccus adessent.

Hiq; nobiscum biberent iocosa
Pocula alternis uicibus. Catonis
Sæpius uirtus maduisse fertur
Dura lyæo.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.
pro concilio Tridentino.

Ode tricolos tetrastrophos.

INstare grandem uerticibus tuis
Cerno ruinam maxime Pontifex,
Tuæq; genti, ni uocatum
Concilium celebres Tridenti.
Gens quæ secureis sumpserat impias
In te rebelleis, imperium, in sacrum,
Deuicta Cæsaris potenti est
Dextera, & ad sua iussa uenit.
Cæsar piorum concilium patrum
Vocat, Deûm quo restituat sacra:
Parere Germanosq; cogit,
Illicitos secet unde abusus.
Agenda quæ sunt iam tibi Pontifex,
Edet Tridenti, qui probus, & sacer,
Carensq; labe, uir piusq;,
Cæsaris ille animum explicabit.
Si tu, uocaris qui pater omnium,
Occludis ipsis pectora filijs,
Quis Paule culpas expiabit?
Quis pietatis erit patronus?
Mentis furorem comprime uindicem.
Seruare multos æquius est bonos,
Iniurias quàm uindicare
Vnius innumeros necando.

Quid parta dudum gloria proderit?
Et quid triumphi post tua funera?
Dicere si inde perdidisse
Sacra, pium genus, & nepotes.
O quàm decorum, temporibus tuis
Si mos reponatur pius, atque honos
Neglectus ante, & sint resarta
Templa, Deûm simulacra, & aræ.
Quod si obstinata mente negaueris,
Scito Deos non immemores sui,
Scito furentem concitari
Romulidas populum in potenteis.
Te Dacus asper, te gelidi Scythæ,
Rhetiq; diri, te horrida perdere
Germania optat, & nepotes,
Et Latium, dominamq; Romam.
Di iusti auorum turpia crimina,
Nec non parentum sæpius exigunt
A posteris: uindicta quo fit
Tardior, hoc grauior superna.
Adhuc Quirites Ausonium solum
Seruisse lugent gentibus impijs,
Adhuc ruinæ barbarorum
Ante iacent oculos probrosæ.
Ergo reponas sumpta odia ob necem
Nati cruentam. supplicium Deus
Facti reposcet mox nefandi
A manibus scelerum ministris,

AD OPPRESSVM A TYRRANNO.

Ode dicclos tetrastrophos.

TVas sæpe uices indolui pius,
Miratusq; animi sum patientiam
Fortis: qui potuit ferre tyrannicam
Iram, & tot mala perpeti.
Vt te te proprijs exueret bonis,
Ornaretq; suos, sæuijt impius.
O atram ingluuiem: ò diram hominis famem
Nullo unquam satiabilem.
Te tandem placido uisere lumine
Dignati superi, deinde calumniam
Falsam detergere, & Cæsaris in sinum
Gonzaga duce ponere.
Magnum præsidium, & grande decus tibi
Missum est à Ioue: nec quod timeas erit
Vltra: sed repetes iam tua, maximo
Fultus numine Cæsaris:
Qui regna fregit punica strenuus:
Qui Turcæ posuit fræna licentiæ:
Pacauitq; solum pacibus Italum,
Tollens quanque tyrannidem:
Genteis qui indomitas, quas rigat algidus
Albis, contudit, atque imperio addidit:
Ritus quiq; pios, templa Deûm sacra,
Quiq; aras nouat erutas.

Hic est, quem toties fatidicus sacro
Vates ore canit, reddere secula
Saturni ueteris, deinde suis oueis
Omneis claudere ouilibus.

DE PHILIPPO CAESARIS FILIO in Italiam turbatis mare, & cælo proficiscente.

Ode tricolos tetrastrophos.

ANtro recumbens Delphici Apollinis
Arcana Fatorum explicita audij
Mortalium nulli antea: atque
Italiam ad tripodas querentem,
Et sciscitantem uera ab Apolline
Sensi, cur, urbeis dum petit Italas
Philippus Augusti propago,
Aetheris, & pelagi malignam
Perpessus iram? cur subito dies
Terris refulsit splendidior? notis
Procul fugatis, nubibusq;,
Purpureum uariumq; agens uer.
Cortina Phœbi mugijt illico, &
Concussit antrum: nec mora prosilit
Sparsis capillis, & futuri
Præscia concinit ista uates.
Philippus alto sanguine Cæsaris
Cretus, parentisq; æmulus inclytæ

Virtutis, assertor Deorum
Feruidus, & pietatis almæ,
Multis iacenteis cladibus Insubreis
Petiuit, atris Dijs prohibentibus:
Iratum & hinc mouere pontum,
Tonitruis, pluuijsq; cœlum.
Vt hinc ruinas, & scelera impia,
Malosq; abusus, furta, dolos, neces,
Discordias, uiros prophanos,
Tolleret Ausonijs ab oris:
Atque ipse pacem conderet: & pios
Ritus Deorum, templa reponeret,
Primas & euocaret arteis,
Et studia, & ueteres honores.
Virtus sed ardens quæritat ardua,
Semperq; surgit uiuida gloria,
Honoribus præclarior, quàm
Mollibus exiguisq; rebus.
Regina rursus tuq; eris omnium
Regnorum, & orbi tu dominaberis
Terrarum, & edictum Philippi.
Accipient orientis oræ:
Quibus subactis auspicijs patris,
Et restituta relligione, erit
Christi sepulcrum, eritq; matris
Virginis à canibus redemptum.
Lex una, & unus Rex: populusq; erit
Vnus: redibit falciferi Dei

Aetas, Philippo orbem regente
Omnia erunt bona, recta, sancta.

DE LAETITIA CIVITATIS MEdiolani in aduentu Philippi Cæsaris filij.

Ode dicolos tetrastrophos.

QValis uere nouo terra ferax rosis
Gaudet purpureis, & uiolis nigris,
Et gaudet uiridi gramine contegi
Grato flante fauonio:
Aut qualis genitum mater amabilem,
Quem mersum rapidis fluctibus Adriæ
Credebat, redeuntem aspiciens grauem
Multis mercibus, irruit
Deflens colla super, mollibus & fouens
Illum amplexibus, atque oscula lætior
Dat fragrantia, dat dulcia, uerba uix
Intercisa ualens loqui:
Talis gente frequens egregia Insubrum,
Vrbs, regina, potens diuitijs, uiris,
Clarisq; ingenijs, & chlamide et toga,
Gleba, & flumine nobilis
Exultat saliũm more canentium
Plectris, & choreis, carminibus, iocis
Aduentante sato à Cæsare Carolo,
Imo rege suo, & duce,
Imò sole nouo, qui nebulis nigris

Pulsis, irradiat lampade fulgida
Terras, flagitia ingentia cædere
Virtuti iubet optimæ.
O lux lucidior sidere candido,
Cressa digna nota, regia ciuitas
Insubrum domina in secula plurima
Persoluet tibi munera.
Per te abrupta manent, cassaq; nullaq;
Vectigalia sunt impia: publica
Et priuata, nec æra indebita exigit
A fidis populis rapo.
Vrbs pellens animi sollicitudines
Intendit studijs, & uacat otio
Grato, & molibus attollitur arduis,
Arcusq; erigit aureos.
Iam sanctis regitur legibus, & prius
Neglecta, heu, pietas erga Deûm frequens
Iam passim colitur, mutuaq; instruit
Hæc conuiuia ciuibus.

INVITAT MEDIOLANVM OCCVRrere Philippo Cæs. Filio

Ode dicolos distrophos.

QVæ solemnia maximis
Possum uota Deis soluere? gratias
Quas illis ego reddere?
Qui audiuere pij sollicitas preces

Iam

Iam ſum lætior omnibus,
Quòd claris patria eſt reddita honoribus.
O deſiderium meum
Vrbs oppreſſa diu, iam erige te Inſubrum
Regina, exhilararier
Debes, ſponſa uelut precupido uiro,
Aduentante tuo Duce,
Rege & Trinacriæ, Rege & Iberiæ.
Vltra neſcia principis
Veri non eris. en diſce uicarios
Aſpernarier ut puer
Bullam cum patruis: & patriæ patri
Mecum occurre, iube tuum
Iam ſaluere Ducem, iam dominum, eia age
Regi occurre tuo optimo,
Qui cum iuſtitia, & cana fides, pudor
Et caſtus ueniet, bonæ
Secum artes aderunt, pleno erit omnium
Cornu copia fertilis.
Regi occurre tuo, ſterne tapetibus
Pictis usque uias, roſis
Necnon puniceis, fragret odoribus
Panchæisq́; ſolum, erige
Arcus, Pyramides, ſint ſpolia inſuper
Regum affixa potentium,
Forti & capta manu Cæſaris oppida,
Et regna, his ſua nomina
Inſcribe, utq́; Deis ſint ſacra reddita.

Surge ô maxima Ciuitas,
Regi occurre tue libera, liber est
Qui aduersi metuit nihil:
O quas insidias ante parauerant
Vrbes finitimæ tibi,
At nunc te dominam, te fore principem,
Reginamq; uocant suam.
Regi & pigra iaces surgere maximo?
Thura & reddere mascula?
Cui Calpe aeria, & cui arduus Artabrus,
Pyreneaq; culmina,
Et parent populi cui iuga celtici, &
Qui pascit grauidas equas
Mons primo Zephyris uere tepentibus.
Leges huius habent pias,
Et seruant Triquatræ summa cacumina.
Flammis Ethna micans, Erixq;
Altus, cum Lilybeo, cumq; Peloro adest
Huic & Vesuuius obsequens
Ignem sæpe uomens pomifera è coma.
Huic & munera Liberi
Aulon patris amans, Maßicus uuifer,
Ingens Syla, Lucretilis,
Garganus quoque, Gaurus, Palynurus, &
Alburnus niueo iugo, &
Circeus nocuo gramine fertilis,
Assurgit Cyminus suo
Regi mons Corytus, Fesulæ & arduæ.

Et qu
Ap
Huic long
Eius iuss
Occurras dom
Maiorem
Cum magnis p
Cum pulchro
Et denso populi
Sed uelata pr
Lino sacra cohors
Incedat rogitan
Magno, prospera
Late postq; patr
Dehinc felicia secula
Et pacem populis

INVITAT CR
in natal
Ode tricolos

Moliris alto uincere
Claros Maronis
Magnos labores, nuptia
Austriacæ sobolis canen
Quòd te uocarint in socium

Alpes aeriæ insuper
Se subduntq; suis cum gelidis iugis.
Et qui altum caput extulit
Apœninus iners, seruit acumine
Huic longus uario, & tenet
Eius iussa. lubens regia Ciuitas
Occurras domino tuo
Maiorem hoc clarius non Deus aspicit,
Cum magnis patribus tuis,
Cum pulchroq; uirorum ordine equestrium,
Et denso populi agmine,
Sed uelata prius compositis choris
Lino sacra cohors, Deos
Incedat rogitans prospera Cæsari
Magno, prospera filio,
Late postq; patrem qui imperium regat
Dehinc felicia secula,
Et pacem populis suppliciter petant.

INVITAT CRVCEIVM SVVM
in natali Cæsaris.
Ode tricolos tetrastrophos.

Moliris alto uincere carmine
Claros Maronis, Mœonij & sacri
Magnos labores, nuptias tu
Austriacæ sobolis canendo.
Quòd te uocarint in socium satis.

Metas en ipsas desine transgredi,
Vdas tabellas indicant, &
Icarus, & Phaeton priores.
Præclarus atras sol tenebras fugat,
Recludit & nox oceano diem,
Stant cardine in summo, labantq́;
Cuncta breui interitura luce:
Rumpenda iam tu stamina tristium
Parcarum, & undas despice luridas
Obliuionum, iam resurges
Alitis ut cineres beati.
Quando æther usquam purius? aureis
Fulsitq́; Phœbus splendidior rotis?
Stant nunc silentes uenti in antro,
Aequora strata etiam quiescunt.
Liber uagatur quadrupes, aera
Et scindit ales, rostra nec expauet
Hic unca, denteis ille acutos,
Stant pecudes simul, & leones.
Descendit alto Iuppiter é polo,
Hac luce pulchro splendidus ordine
Diuûm, serena cuncta fronte
Nubila, mœstaq́; iam serenat.
Natalis hæc lux Cæsaris inclyti est,
Si nescis, orbis principis, impios
Qua contudit regum furores,
Qui populos domuit rebelleis
Ad Algidum Albim, qui reparat sacra,

Piosq; ritus, & simulacra, ope
Fretus tonantis, & Deorum
Auspicijs superum secundis.
Veni paratas iam citus ad dapes,
Sed dignus aris, splendida te uocat
Nullo ære culta mensa, ueni
Lesbia uina etiam bibemus,
Quæ præbet ipsis Dijs facie placens
Formosa mater, pulchrior & puer
Alba manu, nigris ocellis,
Crineq; Apollineo decorus.

FRANCISCI GONZAGAE MAN-*tuæ Reguli, et Catherinæ Austriacæ Epithalamiū.*

Ode tricolos tetrastrophos.

SEdeis beatas Iuppiter optimus
Heroibus magnis uacuas uidens,
Terrasq; bellorum tumultu
Principibus caruisse claris,
Magnum uocauit concilium Deum,
Dicens, periclum conspicite imminens,
Sedeis uacare heroibus, nec
Vnde queat dare terra seruat.
Partus uirileis quos prius edidit
Benigna tellus, cernitis Insubrum,
Vt nulla maiores Deorum
Miserit ad thalamos superbos.

Nunc fracta bello flebilis omnibus
Iacet, nec illam respicimus diu,
Ceu gnata non sit nostra dulcis
Nobilior regio Italorum.
Nec pressa semper filia amabilis
Eris tumultu bellico, & impia
Nunc peste, nunc fame nefanda,
Cæsaris in gremio potentis
Iam te locabo, non eris amplius
Neglecta, curam non minimam geret
Tui, Insubres erunt ocelli
Cæsaris, Ausoniæq; regis.
Sic dixit, arcana explicat insuper
Fatorum, & ultro mentem aperit suam.
Resarcienda tot mala esse
Connubio. Superi annuerunt.
Mandatur omnis cura Cupidini,
Matriq; pulchræ, e sanguine regio
Quærant puellam, Insubrum & alta e
Prole ducum iuuenem potentem.
O magni olympi rector, & omnium
Mortalium, nil fallere te potest,
Præsentia, & futura, lapsaq;
Ante tuos oculos morantur.
Parere fas est imperio tuo,
Cupido fatur, sed precor audias,
Ad uorticosi Danubi undas
Regia uirgo sedet iugalis.


Est huius heros Rex pater inclytus
Gentis superbæ Romulidum, impium
Qui bella contra geßit hostem
Atque gerit pietatis almæ.
Tuæq; Manthus fatidicæ est puer
Arundinosi ad littora Mincij
Propago regum, orbus parente:
Par mihi coniugium uidetur.
Risit Deorum tunc pater optimus
Vafra sagacis uoce Cupidinis,
Laudauit ultra, & annuens uult
Perficiant sua iussa ad unguem.
Illi facessunt iussa Iouis citi,
Interq; sese munia diuidunt,
Manthus Cupido mœnia, Istri
Littora pulchra petit Dione.
Saltus per altos, lustraq; deuia
Gongaza quærens capreolos puer,
Aprosq;, & ursos, aut leones
Currit equo iaculis ferire.
Miser sagitta sternitur aurea,
Et quæ pararat uulnera pertulit.
Euenit usu sæpe, in hostes
Versa tuos, patiare tela.
Necdum sciebat, quid sit amor, faces
Sed sentit intra pectora, sæpius
Ille euomit suspiria, horret
Atque epulas, fugiuntq; somni.

Non ante sueta cuspide saucius
Statum priorem deuocet, hinc canes,
Oditq; rete, & arma, equosq;,
Languet, amat, queritur, uagatur.
Odit suorum seruitia insolens,
Solamq; matrem languidus expetit,
Tanti usque nescius doloris
Consilium, auxilium precatur.
Mater, Deorum conscia consili,
(Hanc nocte Manthus admonuit) tacens
Arcana, solatur dolentem
Blanditijs, & opem inde spondet.
Ripas ad alti lactea Danubi
Puella regum progenies, choro
Consepta Nympharum benigno,
It, fugiens rabiem leonis.
Venantis arcum Cypria sumpserat,
Errare fingens per uaga littora,
Suas sorores quæritando,
Sparsa comas rutilas ad auras.
Notæq; formam Virginis induens
Se sponte Nymphis in comitem dedit,
Saluere regiam puellam
Prima iubet, comites subinde:
Dum fabulantur deueniunt simul
Ad prata defessæ undique florida,
Inuitat umbra fonsq;, flosq;,
Et uia longa sedere, & æstus.

At diua flores puniceos legit,
Miscetq; flammas, collocat insuper
Inter puellæ albas papillas,
Floribus inde comam reuincit.
Ah Virgo flores non geris: hæ rosæ,
Quas fers eburno in pectore, sunt faces.
Quæ mox misellum cor perurent
Virgo tuum, & teneras medullas.
Furore qualis concita bacchico
Thyas, sacerdos aut Cybelæius
Furens, puella talis errat
Flumina Danubij ad superba.
Nescit teneri legibus, aut modis,
Sit ne ipsa nescit. se simulat Venus
Illi medelam afferre, & ignem
Ignibus, & facibus facem addit.
Vt quid tot igneis ignibus addere,
Flammasq; flammis? uritur ah satis
Puella: si contendis ultra,
Deficiet nimio calore.
Nescit quasillum, nescit acum, colum,
Et plectra nescit tangere: respuit
Dapes, abit somnus, macrescit,
Sola sedet, refugit sodales.
Nunc mente fingit, nunc quoque pascitur
Spe, destituta hac languet, amat, pudet.
Ah ne inquit heroam puellam
Et facere, & meditari iniqua.

Oblita rursus uirgo sui, fugit
Dulceis sorores, & famulas, amat
Quem nescit, optatq; illum, & ardet,
Et tremit, & metuit, doletq;.
Tali hos amanteis & puer, & Venus
Fixere telo, sic face mutua
Vruntur ignoti, dierum
Qualibet ut cupiant iugari.
O Diua amorum, diua sacri tori,
Postquam iuganda est Austria Mantuæ,
Ioue imperante, & arte uestra,
Connubium decorate prole
Multa, hæc potenti prælia dextera
Gerat subactis hostibus undique:
Beata Mantus regna longe
Proroget, imperijq; fineis.
Audiuit Iuppiter è polo.
Iuganda, dixitq;, Austria Mantuæ,
Fœcundet, armet, subdat hosteis,
Proroget imperijq; fineis.

Finis Secundi Libri



ANTONII CERRVTI NOVARIENsis Carminum liber Tertius.

AD BARBITVM DE FRANCISCO Mendocio Cardinali.

Ode dicolos distrophos.



LOngo plectra silentio
Frustratus studijs, speq; sacraueram
Gratis, ut taciturnitas
Esset sola comes fida laboribus,
At me magnanimi mouent
Te tangam celeri pollice barbite
Virtus, & sapientia
Mendocæ, atque potens iustitia, & fides
Impellunt modo dicere
Nullo dicta satis carmine, nobilis
Ornatiq; animi bona
Seu more argolico siue italo canat,
Vincto seu pede libero
Regum, & clara ducum, facta potentium,
Seu res imperij sacri
Diuorum pietas, seu populis quies
Componenda fidelibus,
Nemo illo melius digerit, & pios
Ritus, atque Deûm sacra
Prudens sic reparat, sic bene & ordinat

Vt possit iure uocarier
Diuus, tende fides dulcisonas modo,
Dotesq́; egregij uiri,
Virtutesq́; sono perfer in æthera,
Discendas ubi Cynthius
Diffundit radios lucidus igneos.
Heroes cythara & tuba
Sunt necnon celebres carmine, gloria
Quorum ceu folia arborum,
Quæ quanquam pereant, illa uirentius
Surgunt, utq́; solum niue
Canet, uere tamen lætius enitet.

AD EIVSDEM CARDINALIS NEpotem, *uitæ instituta.*

Ode dicolos tetrastrophos.

ME tuus patruus sacer,
Vir fide, & sapientia
Virq́; consilio grauis
Atque iudicio acri,
Vinxit ingenio suo,
Illi ut & studium meum
Dedicauerim ab intimo
Corde, uota uelut Dijs.
Iure tu patrio mihi
Iam secundus eris, tibi
Vnde post patruum meos

Consecrabo labores.
Lustra bis mihi quattuor
Lapsa, ludicra nec meo
Insident animo amplius
Sanctiora petenti.
Nunc sacris monitis meum
Pectus expleo, talibus
Excoli iuuenes uelim
Nobileis, & amicos.
Forte me temerarium
Argues. tibi scriptitem ut
Ista, me me amor intimus
Fecit esse magistrum.
Munus officij mei
Hoc erit puer inclyte,
Horter ut studio utili
Applices animum ipsum.
Noui ego ingenium capax
Artium, & iuuenum leuem,
Semper ad bona desidem,
Et citam ad mala mentem:
Vnde iudicium Herculis,
Si sapis, prius elige,
Quære difficilem uiam,
Et patens iter horre.
Dura & ardua quærere
Est uiri, est quoque uincere
Se, impetus & inutileis

Senſuum ſuperare.
Ergo cur ſtudeas uide
Præq; luminibus ſcopus
Nocte ſitq; die tui
Finis, & ſtudiorum.
Quid iuuat ſtudim, niſi
Id regat ratio ſagax,
Req; perficias bene
Cœpta, numine Diûum?
Quisquis ingenuis uacat
Artibus, prius arceat
Mentem ab illecebris, pati
Diſcat inde labores:
Corpus is patientia ex=
erceatq; animum, decet
Plurimum & uerecundia,
Continentia & oris.
Si uolet ſocios, pareis
Eligat, uitijs ſine,
E parentibus optimis,
Moribusq; probatis.
Nil agat temere & ſenum
Abſque conſilio graui,
Rerum enim experientia
Fecit hoſce magiſtros.
Nulla corporis actio
Sitq; iudicio carens.
Cura nec tibi ueſtium

Magna ſit, neque parua.
Rebus eſſe modum ſcias.
Terminos habet æquitas;
Aurea & mediocritas,
Hanc colunt ſapientes.
Hanc uelim bene noueris,
Mater ut genitos ſuos,
Hancq; ſi ſapis, & tene,
Et foue ut ſinu amantem.
Hac duce ad ſuperas domos
Tendimus, ſocij ſimul
Cælitum efficimur Deûm,
Atque nos etiam Dij.
Et cacumina montium
Summa percutiunt noti,
Et negat ſegetes caua
Vallis, uſque gelu algens,
Lapſus haud Phaeton, nimis
Alta ni rapuiſſet, &
Ni rexiſſet equos, leueis
Nec datos homini axeis.
Quam ſequare tibi optimus
Dux erit patruus uiæ, ab
Hac pedem neque ſubtrahe,
Sed notas tere calce.
Dedalo ſatus aliger
Factus ingenio patris
Celſa dum minium petit

Negligens pia iussa
Vanus, & male prouidus,
Dum uagarier æthere
Gaudet, icarijs cadens
Nomen indidit undis

AD BELISARIVM MARIVM.

Ode Monocolos.

MAri meorum prime sodalium,
Fortuna grato quem gremio fouet
Multo decorans munere lubrica,
Si te doloris participem facit
Paulisper atri, ne doleas nimis.
Prudentis inquam rebus in arduis
Seruare se se est, non secus ac bonis.
Laudatur acris militiæ ferox
Qui plura miles uulnera pertulit:
Quicunque primo cesserit impetu,
Et contrà inerti torpet in otio,
Apollinari non bene laurea
Dignus, datur uictoribus inclytis.
Tentauit acri te patientia?
Magnus, sed ultra quam decuit, sua
Sit pace dictum. absumere, prô, fame
Viros sacratos ex petulantia.
Fecit quid ultra sacrilegus Nero?
Sed non querendi sat locus hic mihi.

Quando malignis principibus licet,
Quicquid proterui est, & facere, & loqui.

AD FRANCISCVM ARSILLIVM
in decessu à curia Romana.

Ode Monocolos.

ARsilli comitum pater meorum,
Arsilli celebrum paterq; uatum,
Cerrutus tibi mille dat salutes,
Gratariq; iubet satis superq;,
Soluit colla iugo truci subacta,
Si nescis hilaris uagatur umbra
Sub grati nemoris nouem sororum:
Iam uiuit, toties dies uocata
Aduenit, melior dies nec ulla,
Seruitute graui redemptus ultro.
Quamq; perdiderit duo atque senos
Annos, ille tamen nihil dolebit.
Soluit colla iugo subacta duro.
Ostriq; imperium insolens superbi.
Musas, & comites sacros uocato:
Natalis poterit dies uocari.
Aras, thura, focum, merum parato.
Cædat uictima pinguis ante Diuos.
Natali hæc melior mihi die ipsa.

AD HYPPOLITAM RHAVDENSEM, *nõn decere mulierem esse curiosam rerum alienarum.*

Ode tricolos tetrastrophos.

QVæcunque auitis fidit honoribus,
Quam uirtus ornat, sanctaq; Castitas,
Matrona, deuitare debet
Esse dicax, uaria, atque fallax.
Vocata si ad discrimina ciuium
Erit suorum, iudicium ut ferat:
Permulta erunt tunc pensitanda,
Ingenium, probitas, parentes.
Quæ uita pridem, qui comites sibi,
Cultor Deorum sit, uel apostata
Infamis, & mores notandi;
Comis, an inuidus oblocutor.
Si illi dolosæ cura pecuniæ,
Aeris ne amicis splendidus optimis.
Suam ne solum laudet artem,
Et benefacta mirum reprendat.
Si impressa fronti est rusticitas truci,
Vel gratiosus sit facie omnibus.
Ceruicis an sit obstinatæ, an
Cædere doctiloquis paratus.
Non est latentes tam facile in uiro
Mores solerti noscere: sæpius
Chartæ loquuntur, quisque quis sit

Candida uita animi, an sit atra.
Laudanda non est garrula fœmina,
Secreta quærens scire uiciniæ,
Nigro; an sit albo culta panno,
An crepitet focus, algeat ne:
Sed quæ gubernat rem, genitos, domum
Atque illa curat quæ muliebria
Recte, nec ultra quàm decens est
Quærit, amat, sapit, & uagatur.

IN DETRACTOREM.

Ode dicolos distrophos.

DEnte canis rabido Cerrutum liuide carpis,
Inanis in lupos, & acer in pecus.
Iam caueas caueas; asperrima cornua tollo,
Malos ut usque perdam, & ut bonos tegam.
Per iuga, per rupes, loca per dumosa sequar te,
Molossus ut lacon uelut feras agit:
Archilochus socerũ, qualem Hypponaxq; secutus,
Sequar loquacem te malum, acer insequar.

AD VENEREM, VT SE AD VINEAM Alexandri Farnesii transferat.

Ode dicolos distrophos.

O Regina potens Gnidi,
Quæ Diuûm, atque hominũ pectora mollibus

Torres ignibus, æquore
Cinctam linque Paphon, grataq; littora
Cypri, & stelliferum polum.
Aræ huc Thuricremæ, te assidua prece
Pallantis tumulus uocat.
Heroum alta domus, summa palatia
Quondam regna Quiritum
Rege à troiugena progenie tua.
Huc nymphæ, huc quoque Gratiæ
Concordes ueniant, huc Semeles puer.
Et Flora hic colitur Dea,
Syluanusq; pater. non nemorum comæ
Aestum, non metuunt niueis.
Ver semper tepidum cum Zephyris uiget.
Promunt mellifluum melos
Alternis uicibus semper aues. ueni
Te inuitat iuuenis decens
Heros Farnesius, fumat odoribus
Gratis ara: ueni ô Venus:
Furtis apta tuis sunt loca dulcibus.
Seu te sylua iuuat uirens,
Seu tu plena rosis prata uirentia
Mauis, seu gelidum nemus.
Seu spelunca hederis uincta sequacibus.
Inuitat quoque Pampinus.
Quæque hic inuenies te uocitantia
Vno ore, alma ueni Venus.
Huc huc alma ueni. te Cyniræius

Optat cura recens tua:
Anchiſesq́; pater, Mars uocat & ferox.
Huc huc alma ueni Venus,
Non ultra metuens retia coniugis.

AD IOANNEM ANGELVM
Mediceum.
Ode monocolos.

QVis inter uarias, truceis, edaceis
Curas ſcribere poſſe me putaret
Magni Cæſaris inclytos triumphos,
Hærenti iugulo meo enſe diro,
Et Rocca decimante cuncta ſacra,
Imò priua elementa deuorante,
Fortuna & ueteris domus ruente?
Aere tu melius canes canoro
Pugnas, & populos truces ſubactos,
Et gentis Medicis ſuperba facta.
At nos, quando erit otium paratum,
Nec ſint ſollicitudines amaræ,
Tobiæ patientis, atque Iobi
In lucem dabimus pios labores.

AD IACOBVM MARIAM SALAM, ut, legibus relictis, musis uacet.

Ode dicolos distrophos.

SIrius agellos urit insanus, siti
  Os mater aperit ut Datan
Aut Curtium uoret, hunc pium, et illum reum.
  Iam pastor umbras quaeritat,
Deserto aratro & bos fatigatus latet
  Inter uirenteis arbores.
Nascentis ad fonteis aquae uagae melos
  Promunt uicißim dulce aues.
Tu ad saeuientes saeuior leges ruis
  Solo strepenteis in foro.
Et iura das genti insciae, & recti rudi,
  Quodque honesti odit ferox.
Magis chelis te, & barbitos, magis chorus
  Sacer sororum te decet,
Quàm uulgus insanum trahens te ad impias
  Liteis fori usque striduli.
Fures minores comprimunt magni, heu pudor,
  Aurum regat quòd omnia.
Non sunt apud nos, ast apud stygias aquas
  Sunt constituti iudices:
Corrumpit auri nullum ubi uis iudicem,
  Nullum fauor uultum occupat.
Sic laude summa dixerim dignum uirum,
  Qui spernit auram uulgi, opes

Et qui uocatis omne per nefas fugit,
Horretq; morte super scelus.

IN FORTVNAM, ENARRANDO calamitates suas, inuehitur.

Ode tricolos tetrastrophos.

QVid expiandum fer domina Antij
Verenda magnis regibus in Deos
Egi, ut lacessas me, scopumq;
Tela tua ad iaculanda ponas?
Parentis artus non senio graueis
Fregi cruentus, nec patriam dedi
Ferro, nec igni diruendam,
Diripui superum nec aras.
Nulli paraui colchica pocula
Corruptus auro, perfidus ultimas
Menteis nec immutaui, ut inde
Assequerer uel agros, uel æra.
Pressi haud pupillum, nec uiduam, hospitis
Nec nostra fudit dextera sanguinem.
Nec falsa defendi, nefando
A scelere abstinuit meum cor.
Scis mente pura quòd Deum amauerim
Fortuna fallax, mobilis improba,
Gaudes tamen meo labore, &
Continuis agitas procellis.
Nam perdidisti cum patria optimum

Fratrem, atque matrem, diripiens bona
Tectis dedisti ignem uoracem
Fana Deûm spoliando, & aras.
Vagum per orbem disijcis horrida
Me, litteris dum nauo operam bonam.
Tu nomen æternum parantem
Militibus fera das reuinctum.
Luporum ut agni præda uoracium
Trudor per omne sæuitiæ genus.
Crudelitatis nil inausum
In me etiam miserum relictum est.
Sed nunc dolores quæ renouant truces
Pertranseamus, urbs ubi martia
Me excepit, urbs effecta culpis
Deterior modo barbarorum.
Oblita primi non odij rapax
Me das auaro principi ut obsequar,
Ignauo, & ingrato, atque inerti,
Ingenioq; sine, & sine arte.
Qui cum labores æquoris & soli
Perpessus ultra sum omne genus mali,
Hyeme per alpeis algidas, &
Dum Procyon furit inter Afros.
Messeis quaternas denique perdidi,
Fallax reposti hinc me facilem altius,
Sub credula spe me extulisti,
Vt ruerem grauiore casu.
Traxi inter altas diuitias inops

Vitam sub umbris more ego Tantali,
Vndas qui in undis poma ab ore
Esuriens fugientia optat.
Et sic inanes octo hyemes sine
Fructu laborum amisi etiam. hinc pudor,
Et hinc dolor, caniq; , damna, &
Perdita tempora me peredunt.
Dixi miser quid quaerere desino
Humaniores & Scythas, & Getas?
Vltra quid hic moramur? illi
Praemia non retinent laborum.
Leuis quid ergo sors potes amplius
Iniuriarum inferre? tibi omnia
Tentata: consumpsi sub isto
Rem, propria stipe militando.
Potentiorum limina respuens
Vrbeis reliqui: me studijs sacris
Addixi, ut inter mortuorum
Assequerer monumenta nomen.
Meae quieti futilis inuidens
Contra me obarmas sacrilegum, pilis
Qui sex ab igne concitis, &
Sulfure, mi prope uitam ademit.
Et ni affuisset tunc Deus optimus,
Morti dedissem membra teterrimae,
Contenta nondum das latroni
Prô dolor omnia nostra praedae.
Audita nusquam talia nec meos

Possum dolores pandere, nec queri,
Nec carpere horum tam poteruam
Sæuitiam, & scelera, impia, atra.
Restabat unum lurida denique
Tentare honores, sed tibi defuit
Vis, filium terræ tamen tu
Horribilem modo concitasti.
Et concitasti illum, sua nomina
Qui sumpsit à carpendo aliena, & is
A fœnerante publico ortus,
Vasta lacuna mali, atque fomes.
Infamia horum & nota malignitas
Cunctis, probata & candida pectora
Sunt nostra, res augere sacras
Quòd uolui, eijcere & profanos.
Iam fracta uirtus sors tua, desine
Vireis refractas sumere, inania
Nam semper audes, pone tandem
Victa inimicitias potenteis.
Quanto magis me persequeris malis,
Tanto ampliori me decoras bono.
Confisus arti sum potenti,
Conscia mens neque me peræedit.

AD PHILIPPVM CASTILIONEVM

Ode Monocolos.

PHilippe egregium genusq; clarum,
A magnis atauis satum, & probatis,
Vnus è patribus sacri Senatus,
Quo prudentior æquior ue nullus,
Et quem Castalides amant Sorores,
Cerrutus deciesq; milliesq;
Te saluere iubet, bene & ualere,
Et longam minime grauem senectam
A Dijs sæpe tibi rogat benignis;
Probos quo ualeas fouere. nondum
Languor tabificus reliquit illum,
Strato corripuit minusq; ab ipso
Fractus languida membra; sed nec ire
Is rectis pedibus potest; bacillus
Ni subsit: tamen hunc superbus hostis,
Hostis barbarus impiusq; truxq;,
Vrget, sollicitat, grauat, ut addat
Morbo sollicitudines. Philippe
Illam barbariem efferam premas ni
Aegrotum exanimabit, idq; uellet
Ne pœnas ueterum daret malorum.
Fulto præsidio tuo Philippe
Non mi barbaries nocebit ulla,
Nec fortes cunei hostium potentum.

Contundam ualida manu ſed illos,
Fortis iuſtitiæ, probæq; uitæ.
Quam primum potero meis ut ante
Non laſſis pedibus uenire, ſcito
Ad te perceleri uolabo paſſu.
Sis noſtri interea memor Philippe.

AD IVLIVM BORROMEVM PHI-
loſophiam legibus præferendam eſſe.

Ode dicolos diſtrophos.

IVli ſanguine nobilis
Inſubrum inferior nemine ciuium,
Qui doctæ latebras amas
Naturæ, unde Anyti ſis melior reo
Acri iudicio grauis.
Et noſcas, dominos quis deceat ſtatus,
Quis ſeruos: uolucrem rotam
Fortunæ ut teneas clauo adamantino.
Quæ & riſum moueant ſcias,
Quæ ue iram pariant. ridiculus ne erit
Qui neglexerit ordinem
Vitæ. compoſitæ? quiq; uiam, & modum
Scandendi ad ſuperas domos?
Conuertatq; animum ad litibus impium
Atque infame forum? aut iter
Qui tutum medio cœperat in die,
Per noctem male differat

Tetram, per gladios, ſaxa, latrunculos,
Nam ceu tellus ab æthere
Diſtat, ceuq; dies ſidere clarior
Cæca à nocte, ita prævalet
Virtutum alma parens artibus omnibus.
Et ſpernit fora uirgijs
Semper plena malis, plenaq; litibus,
Et diris querimonijs.
Nec laudare uirum ſat potero, atticas
Nocteis qui bene ſcripſerat,
Ius dicens populo, iudicis arduum, &
Nodoſum officium cauens,
Faſceis depoſuit ſponte ſua citus,
Tanquam ſi ingenui uiri
Munus cerneret hoc non fore nobile.

AD IACOBVM PHILIPPVM *Saccum.*

Ode tricolos tetraſtrophos.

NE Sacce credas candide & optime
Veri eſſe quicquam, quod modo perditæ
Linguæ-obloquutæ ſunt ſceleſtûm
In capita hi ſua mentiuntur.
Admiſit in me quicquid is impius
Iniuriarum parcere atrocium
Duxi, beatis legibus me
Non tamen oppoſui, nec auſim,

Illata nobis damnia resarciat,
Librosq; reddat, sarcinulas simul
Nostras remittat, sed prius sit
Cautio ne noceat probata.
Res, & libellos furis habet pater
Huius scelesti, & reddere denegat,
Ait, uelint, nolint, uidebit
Incolumis patrios penates.
Interminatur perfidus insuper
Mortem cruentam, ni dedero omnia
Portanda uentis, & rogaro
Vsque patres scelera ut remittant.
Nunc improborum quàm temeraria,
Quàm fœda prô Dij audacia perdita,
Committere ut quicquid proterui
Criminis audeat absque pœna.
O nostra plusquam ferrea secula,
Quando hæc nocendi est orta licentia
Impune? an hæ leges Deorum?
An ne hominum? an modo barbarorum?
Vinctus, reuinctus, supplicio Crucis
Damnatus, urget, calcitrat, & furit
Adhuc. quid hic, si liber esset,
Non faceret mali iniquus atrox?
Vellenda sulcis gramina sunt prius,
Quàm Sacce dentur semina, & occupet
Radix maligna terram, obestq;
Semper iners mora, lenitasq;.

AD ALOYSIVM CRVCINVM.

Ode monccolos.

CEnsebam memorem mei laboris
Te, contra immemorem esse me putasti,
Fors liteis agitare me forenses.
Erras id reputans Crucine; nanque
Hoc est officium tuum, & tuorum,
Nos dulcem requiem, otiumq; diuum
Amamus, canimusq;, uel papyris
Aeternis homines probos sacramus,
Vel nigris maculis malos notamus.
Quod si fors cuperes, Cruceis latronum
Cantarem horribileis, genus tuorum.
Præstabo ex animo tibi Crucine,
Nam possum, caueas sed inde qua te
Suffigam in cruce, forte ne latronis
Iniqui cruce te super locarem.
Nam sum nescius unde prima origo
Sit Crucine tua, à bona, mala ue,
Et sunt ambiguæ cruces, nec illas
A fructu nisi possumus probare.
Da fructus igitur crucis tuæ, unde
Noriiu qua satus es cruce: at ueremur
Probrosa cruce te satum latronis
Scelesti. officium probat tuum. euge
Ostendas aliter, uelis tenere
Ni me talia ueriora ueris.

Esse, præmia nemini laborum
Reddis, plus homine extimes ut assem.
Periurus quoque dictus esse. quare
Aut istas maculas tibi amoueto,
Aut genus fateare te latronum.

DE EODEM AD IVDICES.

Ode dicolos distrophos.

Scio molestum me fuisse patribus,
Scio, petendo præmium
Mei laboris à Crucino, qui nimis
Amator est pecuniæ:
Vilis fascelli cupiat ut thecam magis,
Quàm nomen optimi uiri.
Iurare non timet per infidum caput
Suum, improbata ab omnibus.
Honorq́; , qui auro fulgido est pretiosior,
Est spretus illi, & gloria.
Nil optat iste præter auri copiam,
Argentea aut numismata.
Nanque huius officium palatini est canis:
Latrando terret iudices.
Cogantur ut sententiam, non quam uolunt
Proferre, nec quam iura amant,
Sed quam malignus, quam improbus uult deferunt,
Latamq́; reuocant sæpius.
Leues ualete iudices, & parcite

Molestus

Molestus ultra non ero
Vobis, ualete iam, nec ulterius forum
Adibo uestrum, quando uir
Impurus, heu pudor, potens est cereum
Formare nasum iustitiæ,
Vt huc & illuc quò uelit retorqueat,
Leues ualete iudices.

AD IOANNEM VARAHONAM.

Ode tricolos tetrastrophos.

OBliuioso in flumine mergier
Dariq; uentis ne rapidis putes
Tuos labores, ingeniq;
Posse mori monumenta magni.
Tu iura nosti ciuica, & altera
Plus æquitatis quæ sapiunt piæ,
Et dicis illa, æquumq; seruas,
Lance pari trutinam tenendo.
Tu magnæ ad oras natus Iberiæ
Patrum sedes amplißimo in ordine,
Honoribus perfunctus ante
In sagulo, inq; toga superbis.
Non te tyranni terribiles minæ
Terrent, nec auri dira cupiditas,
Non dignitates te peramplæ à
Iustitia remouent potenti.
Et castus ornat te pudor, & fides

Intacta, nullo crimine perdita.
Te uita, te æternaq́; uirtus,
Claraq́; nobilitas parentum.

AD FORTVNAM DE NEAERA.

Ode dicolos tetrastrophos.

IAm satis Fortuna potens, satisq́;,
Sum mali passus patienter, ultra
Ferre quàm possint humeri impotentes,
Quàm deceatq́;.
Quod graue admisi scelus, ut Neæram,
Hac mea uita mihi chariorem,
Surpereis, & qua sine non superstes
Viuere curem.
Hæc erat tardæ requies senectæ,
Hæcq́; curarum grauium leuamen,
Ipse non Syrteis comite hac timerem,
Ipse nec enseis.
Hæc mihi uireis, animumq́; fortem,
Ingeni uenam simul affluentem
Præstat, hæc quicquid genio obsequens est,
Donat & artem,
Ah meæ sortis miserere diua
Impiæ, ah uitæ miserere fractæ.
Nam nisi reddas animam meam mi,
Proxima mors est.
O mea uita, atque anima Neæra

Charior, mœstum fugientem ad umbras
Spiritum nigras retine, fcueq; am=
Plexibus oro.
Si preces audis Dea fupplicantis,
Sum Deis maiorq;, beatiorq;.
Hac tuas aras onerabo donis
Luce quotannis.

EX VVLGARI IDIOMATE.

Ode dicolos distrophos.

QVifquis amat iam audacter amet, fe & fpe=
ret amari:
Amor nam amore flectitur.
Pectore amat fido quicunque eft dignus amari,
Amorq; amari non negat.
Mutuus optat amor quòd mutuo amentur
amantes;
Pari hosq; nectit uinculo.
Nam certo fidi iunguntur fœdere amantes:
Gaudent fimul, fimul dolent.
Stringit amor dulceis animos, ut amantis amati
Sit corpus unum, unusq; animus.
O quàm fuauis amor: quam gratum eft munus
amantum,
Ament fe amabili ut uice.
Dulcis amor pariter dulcem fortitur amorem,
Amans amati ut formam habeat.

Dignus amor sed amore pari; sat amandus, amãtes
Idem appetunt, idem uolunt.
Res quoque amata sui desyderium fit amoris,
Face ament amati ut mutua.
Gaudet amans cordis possessor factus amati,
Prægestit inde amore amans.
Vnde & amatus amans perfecto pectore amantẽ
Meretur usque amarier.
Quod si castus amor, nec mens sit turpis amantũ,
Summo Deo coniungitur.

AD BERNARDVM CAPELLVM.

Ode tricolos tetrastrophos.

FEbri laborans assidua, & graui
Domesticarum sollicitudine
Rerum grauatus, uix Capelle
Possum animum adijcere ad camœnas:
Nonas adußit iam segetes canis
Aestiuus, ex quo Pontificis nepos
Me excepit ad graueis labores
In numero egregio suorum.
Terræ, atque ponti nulla pericula
Me terruerunt, siue per algidas
Alpeis iter tenere, siue
Per loca contigit æstuosa:
Nec ulla ab isto sunt data præmia
Longo labori, uiximus insuper

Et militauimus paterno
Aere, attauum bona dißipando.
Aesopus huius causa mali intimi,
Qui absorbet heu cum fratribus omnia
Tradenda nobis, est bonorum
Totius iste domus uorator.
Ingrata iam iam limina sunt mihi
Linquenda, uastam haud ferre uoraginem
Possum, nec huius tam rapacem
Ingluuiem insatiabilem atram.

AD FRANCISCVM ARONEVM, *ut studijs intendat.*

Ode monocolos.

FRancisce ingenij tui labores
Legi cum egregio tuo parente,
Quem uincas probitate te precamur.
Quòd nos ad bromij sacros liquores
Inuites placet, interim uacato:
Vt recte ualeas, amesq; matrem,
Nec non lacteolam tuam sororem.
Superq; omnia sis memor studere.
Anni prætereunt citi & uolucres,
Qui nunquam redeunt, uelut fluentes
Aquæ, te moueant pudor, dolorq;,
Venturæ tremulæ & pigræ senectæ.

AD IO. BAPTISTAM PLOTIVM.

De libello Gaudentij Merulæ.

Ode dicolos tetrastrophos.

O Tutor antri pierij bone,
Legumq; Ploti candide & integer
Interpres, auri quem cupido
Nullæ mouet, neque prauæ reges
Terrent iubentes, nobilitas tua
Voces canoro dum Merulæ elicit
Ab ore, uirtutes tuorum
Atque tuas, celebratq; honores:
Cui debeatur plus, Merulæ an tibi,
Non est meum nunc dicere, candidi
Lector libelli dicat, isq;
Innumeras det utrique laudes.
Iocos leges hic, & ueteres sales,
Hic & lepores, atque facetias,
Consurgat ore seu iocoso,
Seu rigido petat ille dente:
Furit proteruus dum Procyon, trucis
Et dum Leonis sidus amat dies
Siccos, in umbrosa reiecto
Valle iugo latet & iuuencus.
Fastidiosam mitte clientulûm
Turbam, & seueris te eripe legibus:
Horasq; falle æstatis igneæ
Hoc lepido, hoc celebri libello.

AD FRANCISCVM MENDOcium Cardinalem.

Ode Monocolos.

TEr charam sobolem Deis morantur
Diui Cæsaris Insubres relicto
Regali solio superbi Iberi,
Vt regna Ausoniæ petat feracis:
Diuino cumulent & illum honore,
Imponantq; comæ auream coronam.
Hinc latè imperium regat parentis
Porrectum Hesperio cubili ad ortum
Solis. obsequium lubens ego illi
Præstarem, & studium meum dicarem.
Sic Dij, sic homines canunt uidentes.
Quòd si polliciti memor, meiq; es,
Vt doctæ referunt tuæ tabellæ,
Vnum hoc te rogito, meo potiri
Tam desyderio queam modesto.
Nec rem difficilem peto, arduam ue,
Quùm sis proximus illi amore, gente,
Virtute: ergo tibi nequit negare.
Nec sum talis ego, ut pudere poßit
Te patrocinium meum subire.

AD ANDREAM ALCIATVM.

Ode tricolos tetrastrophos.

CAntare pridem pectine eburneo
Nec non ad arceis tollere lucidas
Paraueram te carmine mollius
Aeoliæ fidibus puellæ:
Te quando pernix Enceladi soror
Legi à niuosis alpibus, & Scytis,
Niloq;, Iberoq;, ac Rhodano, & Pado
Dixit, & Oceano reclusis
Obscura legum ænigmata soluere, &
Tenere primum te locum in ordine,
Et te priorem cædere nemini
Quot fuerant, & erunt probati.
Nos unde pecten ponimus, & tuas
Laudes tacemus percelebres, leuis
Culpa timentes deterere ingeni,
Grandia ne attenuem pusillis.

AD MVSAS DE COSMO MEDICEO Hetruriæ Principe.

Ode dicolos tetrastrophos.

COsmum Pierides tollite honoribus
Diuinis Medicen, egregium genus
A magnis ducibus progenitum, & Deis,
Vestro altum ubere lacteo.

Nulli æque celebrant uos bene principes,
Cultores melius nec gremio fouent
Vestros, ut Medices nunc domus optima
Vatum mater, alumnaq;.
Cunctis uerba loquor cognita gentibus,
Nam debere magis nostra fatebitur
Aetas nulli hominum, nec meritis pareis
Laudum reddere gratias.
Arteis, ingenia, & præcipuos uiros
Gens hæc muneribus grandibus excitans
Allexit, pretijs undique maximis
Collegitq; bonos libros:
Hæc ut nostra negent cædere secula
Priscis eloquio, carmine, moribus,
Mæcenate sacris uatibus altero
Cosmo principe Hetruriæ.
Quo regnante uirum secta scientium,
Quæ dudum incoluit Palladis inclytam
Vrbem, transtulit ad tecta Fluentiæ
Regis doctam Academiam.
Vnde is socraticis pectora sensibus
Expleuit, superum iustitiam colens
Sic seruat populum, ut pœna comes malo,
Iuncta & præmia sint bono.
Hic mores hominum perdidit improbos,
Norit quisque suo ut munere fungier
Virtutesq; sequi, persimilem sibi
Dant casti sobolem tori.

Quid quàm sit memorem dulcis amiculis?
Quid quàm sit sapiens? quid memorem fidem
Constantemq; animum, & munificentiam? huic
Nutrix quando benignitas.
Quis nunc respuerit degere principe
Sub tanto? melius quo dare munera
Nouit nemo bonus, nulla equidem dies
Maiorem genuit ducem.
Sub quo Brutus amat, uel rigidus Cato,
Sub quo Fabricius uiuere nobilis,
Et parere pijs imperijs uiri
Præceptisq; salubribus.
O quanto uberior Martia ciuitas
Esses Imperio, rebus, honoribus,
Claris usque uiris, si hactenus integri
Seruassent Medicei tuam
Gentem Pontifices, secula sub quibus
Ter fœlicia erant, sub quibus aurea
Tellus quæque tulit, largaq; præmia
Virtuti data nobili.
Tunc uates poterant carmina condere,
Et filo tenui pulchra poemata:
Tunc deducere, erat plus olei decens
Tunc insumere quàm meri.
Sub diro heu miseri sidere nunc sumus,
Ingratoq; fati tempore, quo magis
Auri dira fames, bellaq;, quàm bonæ
Artes, quàm studium, uiget.

Felices populi regis Hetruriæ,
Quorum sit pretijs ingenium acrius.
At nos hic operam, nos oleum simul
Longo tempore perdimus.
Felices igitur uiuite, prospera
Queis fortuna dedit magnanimum ducem,
Heroasq; , atauos, factaq; splendida
Cosmi tollite laudibus.

AD EPISCOPVM CORTONIANVM.

Ode dicolos distrophos.

ANtistes Coryti sacer
Prisci, consilijs regis Hetruriæ
Magnis intime, Pegasis
De te conqueritur Musa, quòd illius
Non multum fueris memor.
Et nunc percuperet noscere, quàm sui
Lusus magnanimo duci
Sint grati exigui, quos dederat tibi.
Illi maius opus dare
Ardens mens fuerat, sed timuit modos
Ne surdis caneret, leues
Et nugæ nimium negligerentur. ah
Vis dicam, fuerant tuæ
Partes, hanc meritis tollere honoribus.
Isto progenitus solo
Mecœnas atauis regibus editus.

Quanquam incumberet imperi
Illi cura grauis, sollicitus tamen
Vatum semper erat, fouens
Nunc illos gremio, nunc opibus iuuans.
At nunc ordinibus sacris
Ascriptus superum nectare uescitur.

AD CIVITATEM GAVDENTEM
nouis mœnibus, & ad principem auarum.

Ode tricolos tetrastrophos.

QVo quo ruinam deproperas tuam
Videre, fati nescia ciuitas?
Fundantur hi muri tuorum
Sanguine, non spolijs opimis
Victorum ut olim. mœnia destruis
Vecors Deorum, prô pudor, heu dolor.
Exlegis huius ciuitatis
Vnde loces, reparesq; muros.
Tu templa Diuûm subruis impie
Cultumq; tollis, nullaq; publici
Est cura, quæ si est, una sola est,
Vt populum expolies fidelem.
Plebis misellæ exugere sanguinem
Tantum laboras, & procerum caput
Euellis ê ceruice, gnatus
Ante papauera ceu superbi,
Struxisse gaudes pulcra palatia, &

Emisse natis oppida plurima,
Murisq; & arce muniisse:
Attali opes, Arabumq; gazas
Seruasse centum clauibus: insuper
Confidis illis, sæua nec expaues
Iam fata, sed clauos trabaleis
Credis inesse rotæ uolucri
Fortunæ, at erras, horrida te super
Vindicta magni, et iusta manet Iouis,
Nec liberabit te potestas
Imperij, neque uis tyranni.
Si parca uerax continuit manus
Confœderatas pernitiem in tuam,
Exemit haud te te neci, imo
Exitium grauius parauit.
Vt cunque Diui dissimulant scelus:
Nec pœna præsens flagitio est graui:
Speranda tunc maior ruina
A superis grauiorq; casus.

AD FRANCISCVM TABERNAM,

Ode monocolos.

M*E turbant laterum truces dolores,*
Et iubent medici bibam falerni
Paulum albi, ueterisq;, & hoc habere
Dixerunt etiam bonum Tabernam.

Omneis circuit illico tabernas
Puer, quod placeat merum nec affert.
Dij uobis mala dent malæ tabernæ,
Quæ Bacchum mihi non parastis almum
Irascor medicis: ferunt Tabernam
Se dixisse uirum optimum, disertum,
Vnum è patribus inclyti Senatus,
Magnum Cæsaris hunc & esse scribam,
Non uileis triuialium tabernas:
Et ipsum ueteli cados falerni
Habere, atque dare ex eo lubenter
Alacriq; animo. ô bonum Tabernam,
Aegris talia uina qui parasti
Illis, quos laterum premunt dolores.
O nunquam moriare mi Taberna,
Et mi talia uina si parasti.
Qui si pessimus omnium poeta
Sim, non illa neges, malus poeta
Est qui non habeat merum bibendum.
Potus quum fuero usque, & usque, & usque,
Quis scit, forsan ero bonus poeta.
Seuerus bibit & Cato, Enniusq;
Perfusus Bromio canebat arma.
Boni omnes celebrant merum poetæ.

AD MVSAS, VT FRANCISCO BIbiennio gratias agant.

Ode tricolos tetrastrophos.

NI scirem superos grandia præmia
Dignis pro meritis reddere, durior
Esset uita mihi, quum nequeam pareis
His persoluere gratias.
At uos Pierides progenies Iouis,
Qui æternare uiros carminibus potis
Estis, digna precor soluite munera
Francisco Bibiennio,
Non Græci eloquij, non latij rudis,
Antiquo est procerum sanguine Hetruriæ
Cretus nobilium, Cæsaris urbicûm
Quæstorum in numero sedet.
Huic prudens animus rebus in arduis,
Non auri cupidus, non & amans doli,
Est præsto miseris, ac patientibus,
Et re, & consilio iuuans.
Taleis ò utinam belligeræ urbibus
Reges præficerent Italiæ uiros:
Ipsis, & populis res melius quidem
Priua, & publica cederet.

DE INIVRIA SIBI A FISCO Cæsaris illata.

Ode dicolos tetraſtrophos.

NVper Camœnis uiximus haud parum
Sacris amici, nec ſine gloria
Quandoque clara luſimus, ê rogo
Vnde meo capiti orta laurus.
Nunc fiſcus at me ſollicitum facit
Vitæ: nocentem dum fouet; & pias
Parteis poetæ negligit, & ſilet
Iuſtitiæ rigor, & Deûm ius.
Vrbs ô ualeto, ſic uoluit malus
Fiſcus potentis Cæſaris, en pedem
Tardum pilarum uulneribus citus
Subtraho liminibus ſceleſtis.
Viuat maligna hic qui modo palmites
Falce utileis truncauit, edacibus
Flammisq; ſacras corripuit domos,
Atque latrocinia apparauit,
Deliberato quiq; animo pium
Auſus poetam perdere, prô dolor,
Librosq;, amata ac pignora ſurpuit.
Hinc agite Aonides abite.
Quærenda uobis altera ciuitas,
Regnent ubi almæ iuſtitia, & æquitas.
Solis rapinis hic locus utilis,
Puluerem en excutite hinc abite.

Ne fiſce,

Ne fiscæ, cuius nomina transeo,
Læsisse inermem te puerum puta,
Vatem sed unum, carmine iambico
Qui tua crimina atrox notabit.

AD IO. ANGELVM MEDICEVM Cardinalem.

Ode dicolos tetrastrophos.

QVòd te promeritis ornat honoribus
Paulus, quòd decorat murice nobilem
Virtutem, superis reddere gratias
Ingenteis teneor Deis.
Nanque est officium principis optimi
Et facti memoris, mi Angele, præmia
Præstare eximijs digna laboribus,
Atque extollere gloria.
Quanquam hæc iure tibi proueniant bona,
Grates ipse tamen soluere debitas
Debes cœlitibus, maxima queis fuit
Semper cura tui. eia age
Mecum exolue Deis uota potentibus.
Taurorum feries tu tria corpora,
Nos hœdum tenerum lætitiæ Deo, &
Agnam candidam Apollini.

AD BERNARDINVM MAFOEVM Cardinalem.

Ode tricolos tetrastrophos.

Virtute quisquis pectora nobili
Explere, & illam uiribus assequi
Enititur totis, libenter
Sustinet usque graueis labores.
Non ille regum terribiles minas,
Fati nec ictus expauet horridos,
Non ille uulgi curat auram,
Mobilis aut populi fauores.
Virtute fretus præmia colligit,
Laudesq; multas, nullius indiget.
Per se satis diues, superq; est.
Casibus intrepidusq; duris
Obstat, secundis se minus erigit
Rebus, futura at prouidus inspicit.
Quæ digna semper laude quærit.
Omne nefas fugiens ut orcum.
Contentus ultro hac comite est Dea.
Contemnit omneis insuper ordines
Vrbis magistratum, & potentum
Limina, diuitiasq; Crœsi.
Illum sequuntur gloria, laus, honor,
Fasceisq; lictor cumq; securibus
Hunc ante defert, atque aratris
In medijs reperit triumphos.

Te clara uirtus uexit ad æthera
Mafœæ clarum, te quoque purpura
Ornauit ardenti, & sacrorum
In procerum numero locauit.
Quis ista iam mirabitur? hac duce
Sperare quando talia curiam
Quiuis sequentes uaticanam,
Et meliora queant regente
Paulo. sed erro, non homini licet
Cuiuis Corinthum tendere, fingitur
Ex arbore omni nec Deorum
Nuntius, ut Deus hortulorum.
Fortuna latè quæ domina omnium
Mortalium est rerum, sua munera
Non spernit, imo cuncta uoluit
Ex animi leuitate uana.
Hæc sæpe reges è solio inclytos
Detrudit alto, sæpeq; pauperes
De gente cretos imperita,
Purpureo decorat galero.
Sæpe & potenti se comitem exhibet
Virtuti, & amplos hæc simul urbium
Affert honores, sæpe & illam
Pauperie grauat heu maligna.
Virtus refractis uiribus illius
Exultat, exhinc à popularibus
Se se abstinet uijs, poliq;
Quæq; per ardua tentat arcem.

Sed clara uirtus non tibi contulit
  Hos ſors honores, & puer inclytus
  Farneſius decus Quiritum
  Romulei columenq́; regni.
Surgentis unquam ſi fuit imperi
  Spes ſumma, nunc hoc Conſule maxima eſt,
  Et conſulente auo, & nepote
  Conſilium redigente in acta.
Quid iam moraris Romula ciuitas
  Quin thura reddas maſcula? cœlitum
  Quin des honores? iſta non ſunt
  Facta hominum, at potius Deorum.

AD CORNELIVM MVSSVM EPIſcopum Butuntinũ in morte Iacobi Roſei alumni, conſolatio.

Ode dicolos tetraſtrophos.

NOn finem lacrymis, queſtibus & modum
  Corneli facies? ſeu zephyri tepent,
  Seu flauent ſegetes, ſeu grauidæ rubent
  Vuæ, ſeu glacies riget.
Mutant quæque uices, nec terere ignei
  Currus aſtra eadem clara leuis rota
  Phœbi ſemper amat: nam modo contrahit
  Nocteis, & modo protrahit.
Tu ſemper Roſei morte doloribus
  Angis plena ſacris pectora ſenſibus,

Qui errantem reuocas regis Olympici
Gentem à limite deuio
Ad fonteis liquidos, lætaq; pascua,
Tu infirmo pecori das medicamina,
Sanans quod fuerat corpore morbidum,
Lacte, & uellere ut affluat.
Tu post te populos eloquio trahis
Dulci: dum loqueris blandius Orpheo
Illis uerba Dei, uerba salubria,
Suaui plenaq; nectare.
Tu lumen rutilans in medio atrij,
Tu montis posita in uertice ciuitas,
Tu sal terræ auidum, tu speculum nitens,
Exemplarq; uiri integri.
Erranteis igitur cum bene corrigas,
Quare tam temere is te prope perditum?
Fato quum sapiens insuperabili
Cædat, seq; Deo offerat.
Non plus mater amat, nec pater unicum
Gnatum, quàm Roseus te tuus, asseris.
A quo quicquid habes (post superos) boni
Accepisse fatebere.
An non ille Deo reddere debitum
Cogebatur? & hoc expedit omnibus.
An non excoluit ter bene uineam, &
Fructum tempore reddidit?
Correptus fuerat febribus in patrum
Sancto concilio, num melius mori

Vſquàm quis poterat? quam Dei in agmine
  Decertando fideliter.
Debemus meritò huic dicere martyrem,
  Et lauro uiridi tempora cingere;
  Nam uictoria ubi eſt gloria proxima eſt,
  Et laudi ſua præmia,
Victorem lacrymis non ego proſequi
  Te cenſebo, magis lætitiæ dies
  Sit dicenda, ſolum liquit, & æthera
  Aſcendit ſuper igneum.
Terræ depoſuit ſi ſpolium graue,
  Exultat niueo tegmine ſpiritus
  Inter cœlicolas cantica concinens,
  Laudesq; æthereo Deo.
O felix obitus, ſeu mage uiuere,
  Sic illi melius dicere congruit:
  Finis parca bonis carceris horridi,
  Orcus luridus eſt reis.
Quem tu Muſſe gemis ſurripuit pater
  Ad ſe Antenoreæ gentis, olympico
  Regiq; exhibuit, militiæ ſacræ
  Digna ut præmia ſumeret.
Hoc ſe exercuerat ſub duce nobili,
  At nunc emeriti munere militis
  Lætus perfruitur, ſeculaq; omnia
  Viuet, nec cadet amplius.
Sub nullo Roſcus degere principe
  Maiori potuit, Diuus hic euocat

Ex umbris animas ad sua corpora,
Cæcis restituit diem.
Atque obsessa malo pectora spiritu
In regis superum nomine liberat,
Amissa hic reperit, furtaq; detegit,
Sunt sani quoque languidi.
Antoni alme pater funde pias preces,
Aeternam Rosco det requiem Deus,
Mussumq; incolumem in secula protegat,
Et det pace frui bona.

AD NICOLAVM PIRENEIVM EPI *scopum Attrabatensium.*

Ode tricolos tetrastrophos.

TVis uolenti incumbere laudibus
Hæsere uoces ter mihi faucibus,
Ceu si luporum me priores
Vidissent oculi truces.
Ter plectra sumpsi, ter mihi Cynthius
Pulcher sonoras corripuit fides,
Aquas mari ne ait profundo,
Nec fruges Cereri dato.
Sacro sorores hunc gremio fouent,
Nos fronde amata tempora cinximus,
Vir est pugil, equesq;
Naturæ inspicit abdita.
Si se parumper rebus ab arduis

Diuellat, almo & uiuat in otio,
Felicius nemo per æuum
Carmen condidit aureum.
Asciuit Atlas hunc socium pater
Magno labori Cæsaris arduas
Ad res gerendas, imperiiq;
Pertractanda negotia.
Plectro unde parcas, mollibus & modis
Hic facta patris splendida, tum sua,
Solusq; pugnas, & triumphos
Dicet Cæsaris inclytos.

AD HONORATVM IANIVM.

Ode dicolos distrophos.

QVi claris ab honoribus
Verum nomen habes flumine mergeris
Dum uiuo, illud & optimis
Necnon ingenuis moribus ordinas,
Diuinisq; scientijs,
Iure ut dictus Honoratus ab artibus
Atque à fonte sacro, neque
Nomen quod melius congrueret dare
Maiores poterant, neque
Quisquam illud studijs te magè candidis
Exornare potis, uales
Graia, atque ausonia uoce, pedestribus

Tu ſcriptis & equeſtribus,
Tu Auguſti puero charus & intimus
Es, nec non ſtudij comes.
Tu, quæ conueniunt regibus, exaras,
Tuq́; ediſſeris optima,
Tu exples Socraticis pectora ſenſibus.
O quæ tempora cernimus
Aduentare ſacris uatibus, & duce
Et docto auſpice Ianio.
Qui me inter ſocios annumerat ſuos
Dulces, quiq́; Perezio
Gonzalo, egregio & doctiloquo uiro,
Iunxit, quo ſapientior
Nemo, nec melior, nec modo iuſtior,
Quo nulluſq́; fidelius
Tuto arcana gerit pectore condita
Regis, qui ſuper omnibus
Mundi purpureis regibus imperat,
A quo præcipuis fui
Donis, inſuper ornatus honoribus.
Vobis conſiliantibus
In clara annumeror gente Philippica.
Quando ò grata ſodalitas
Cerruto dabitur colloquio frui
Veſtro, docto, & amabili,
Quo nil dulce magis, nil mihi charius
Continget. ſuperi precor
Hoc concedite, dehinc ſi moriar mihi

Mors gratißima erit, modo
Cum istis emoriar, seu mage uixero,

MVTJI ET FAVSTINAE SFORtiadum Epithalamij præfatio

Ode dicolos distrophos.

MOs fuit antiquis procerũ simulacra suorũ
Habere in aula, aut porticu.
Horum etiam pulchro decoratus honore magister,
Seu scalperet, seu pingeret,
Talia credebant post tempora plurima uitam
Dare, at cadunt æuo breui.
Nos genus heroum canimus simul acta tuorum,
Tuas canendo nuptias.
Sunt ista hæc procerum Muti simulacra potentum
Verißima in omneis dies
Cura igitur parui non sit tibi parua libelli
Nostri, haud loquimur inania.
Hæc mihi quærenti certißima dixit Apollo
Et quæ tacemus plurima.
Otia si fuerint cantabimus, optima laus est
Nascens ab ipso funere.
Talibus ergo habeas simulacris atria plena
Vt multa uiuas secula.

EPITHALAMIVM.

Ode dicolos distrophos.

TEllurem niueis spargite floribus,
Et ferte huc calathos rosis
Plenos puniceis, huc breue lilium,
Et quicquid redolens arabs
Nec non Assyrium pingue tulit solum.
Nymphæ tempora cingite
Sertis, inde uago pellite humum pede,
Dulcem dum feriunt Lyram
Cantu mellifluo pieridum chorus
Sacrarum, & Clarius Deus.
Myrto ornate domus limina, & aureis
Pomis, gaudia Cypridis.
Sit uatum, atque ducum delphica gloria
Laurus. stent laquearibus
Lychni, iamq; faces concutiant comam,
Vnde almum reuocent diem.
Aulam surge puer, Cinge tapetibus
Perpictis, quibus illiti
Gentis Sforciadum, atque Anguigerum duces
Cernantur ualidi, genus
Heroum, ingenio, & uiribus inclytum,
Inuictiq; animi, decent
Iam cuncta, atque suo stant posita ordine
Ornatum ad thalamum. aspice
Ingenteis proceres secula ad omnia

Claros. Ille potens Otho est,
Dudum qui tulit insignia uperæ
Victor barbàro ab impio.
Alter promeruit Magnus ab optime
Gestis dicier, hostibus
Pulsis Turrigeris, omne genus leuis
Fortunæ solitus pati.
Illos subsequitur non minus Actius
Armis, quàm ingenio ualens.
Arcendo Bauarum limine ab Italo
Fratrem liberat obsidem.
Lucchinum inde uides reddere, & addere
Regno urbeis uarias suo.
Is, cuius celebris Thuscia & Vmbria
Cisalpinaq; Gallia
Subdunt colla iugo, suscipiunt simul
Leges Insubrium est sacer,
Et nunc purpureo pocula nectaris
Cum Dijs ore pius bibit.
Facta & consilium quis Galeacij
Vates egregie canat?
Quis currus sobolis, quis spolia, & duces
Captos? bella quis horrida
Cantabit? uarijs urbibus imperans
Virtutum comes optimus
Dictus, quinetiam primus hic Insubrum
Dux est, ultro apicem imperi
Cum summi peteret, stamina, prô dolor

Parcæ corripiunt truces.
Dehinc surgit genitus, qui Anguigerûm ultimus
Dux, sed Blanca Philippica
Illustris mulier tempora in omnia
Magno iuncta uiro genus
Instaurat generi, consimile eligens,
Fortem fortis amat uirum.
Quem cernis uiridi tempora cingere
Lauro, ê sanguine Sforciæ
Magni Attenduli, hic est lucida gloria
Bellantum, & stupor, & decus.
Paßim urbes Italæ, paßim etiam oppida
Tollunt signa trophœaq;.
Nusquam uictus, erat uictor in omnibus
Bellis, rebus & arduis,
Sed nec consilio aut eloquio prior
Quisquam aut par fuerat sibi.
Hæc facta inspiciens in generum uocat
Hunc Dux inde Philippus, &
Pisauri domini: ê stemmate Sforciæ,
Pro Francisco aderant Duce.
Semper Sforciadûm gens fuit inclyta
Bellis atque toga potens.
Ceu nubes ualidis quando aquilonibus
Pelluntur ue notis, ita
Hostes diffugiunt hoc duce protinus,
Dextras dant quoque supplices.
Pax tanta unde oritur gentibus Italis

Quanta orbi fuerit data
Augusto penitus principe maximo
Terrarum, & patriæ patre.
Cui non consilio, aut munificentia,
Hic nec cessit honoribus.
Passim templa Deûm, tectaque pauperum
Multa dote locat pius.
Diuersisq; potens innumera erigi
Dum castella iubet locis.
Insignis spolijs pluribus ordini
Heroum, & numero Deûm.
Ascitur superum, secla per omnia
Lugendus patriæ, & sacro
Patrum concilio, atque Hesperiæ uberi
Semper postmodo perditæ.
Hic qui mortifero est uulnere, & â suis
Confossus Galeacius
E Blanca anguigera Sforciade & duce, heu
Infandum, heu scelus impium,
Summa spe iuuenem perdere, & hinc dolor
Hinc luctus patriæ fuit.
Iam iam perficitur Dux puer inclytus,
Parcæ heu surripiunt truces
Surgentem imperio, prô scelus, o, pudor.
Mox surgit Ludouicus, hunc
Multis Fata agitant fluctibus aspera,
Necnon dulcia pignora.
Queis regnantibus, heu, nec ducibus fuit

Vſquam nec populis quies
Peſtes, bella, fames, furtaq;, funera,
Mortes, ſtupra, odia, & doli
Regnarunt, data ſunt omnia barbaris
Prædæ, ſic placitum Deis.
Qui mortale genus tollere honoribus,
Mox deponere cladibus
Gaudent, ceu rapidis fluctibus horridæ
Cautes æquoreis, & ut
Prærupti ſcopuli, ac ſumma iuga ignibus
Obſtant, & pluuijs notis.
Franciſcus ſapiens atque nouiſſimus
Dux ſeſe oppoſuit trucis
Fortunæ iaculis, acer & ictibus,
Tandem cum ſapientia,
Tum uirtute duce è finibus expulit
Victor barbariem efferam.
Percuſſo placidæ fœdere pacis, ab
Ipſo Cæſare nuptijs
Oblatis ſtabili connubio omnia
Firmat, ſanguine, amicicia.
Hinc exorta ſuis eſt populis quies
Alma, optata ſatis diu.
Sic firmata fuit, compoſita & bene
Res, & relligio pia, ut
Auri ſecla forent, noſtra ſed heu nimis
Fatis pax odio fuit.
Franciſcum ante dium ſurripiunt Ducem,

Et cuncta ex oculis bona.
Quærentem imperium intercipiunt patris
Paulum occurrere Cæsari
Dum festinat equo. ò qui patriæ dolor
Quæ exortæ lacrymæ Italis.
Sed spes restat adhuc summa superstite
Illustri indole Mutio,
Heroina decens quumq; Violantula
Regnum præcipue reget.
Ceu flores uiolæ semper odoribus
Vincunt pallidulæ, ita
Nostri omneis superat nunc Violantula
Aeui gloria fœminas.
O digna imperio, parteq; nobilis
Ex omni celeberrima.
Summo digna Ioue es, si careat sua
Iunone, ut proceres regas.
Te sanctus pudor, & te sapientia,
Te ornat munificentia.
Tu nosti populis parcere, crimina
Et tu carpere turpia.
Si te fata manent, si imperio tuus
Fraudatur proprio puer:
Multa Anchisiades pertulit horrida,
Dum inferret Latio Deos:
Virtuti intrepidæ semper, & optimis
Fortuna obstitit impia.
Nostin quanta tulit prælia Cæsar, ut

Hosteis

Hosteis limite pelleret
Insubrum, & modo non est sine milite
Forti: Fata duces agunt
Dudum Sforciadas; imperium simul
Hoc præter nihil actitant.
Vnde hæc progenies penè erat obruta
Finisq; imperij Ducum.
At Dij, cura quibus Sforciadæ domus
Semper maxima creditur.
Collecto superûm concilio, Deos
Iunonem dominam tori,
Demittuntq; Hymenæum, hac sobole ut parent
Faustum connubium, ut duces
Virtutum comites roboris exeant
Antiqui, auspice Cæsare.
Pulcher Sforciadum sanguine Mutius
Claro, & P[illegible]iuolus satus:
Quorum prætereo facta, genus, duces:
Nouit quos bona Felsina.
Illustri pariter stemmate Sforciæ
Faustina exoritur decens.
Magnus cui genitor Boßius: ordinis
Frater purpurei est Guido.
Alter dux peditum, duxq; equitum ferox,
Contra sacrilegum genus.
Et maternus auus, qui modo Pontifex
Orbis maximus optimus.
Quem si ausim meritis tollere honoribus

Vis me, & deficiet dies.
Tantis auspicijs Faustula *Mutio*
Iuncta est, Sforcia Sforciae.
Vates uera loquor, Iuppiter *annuit,*
Vt regnum reparent uetus.
Quid conor tenui grandia cum lyra,
Quae non dicere conuenit?
Virgo connubio Faustula *Mutio,*
Pulchro pulchra datur uiro:
Felix connubium cum bona & alite,
Annis & facie pares.
His foecunda Venus *prole perennior*
Aßistat roseis genis:
Exornetq; torum nympha Peristera,
Et dicat uerba precantia.
Laetum coniugium pronuba & afferat
Iuno: sitq; Hymenaeus *his*
Faustus: nullus erit quo sine perbreui
Orbis, nullum hominum genus.
Gratus Dijs *superis, gratus & inferis*
Author connubij est Deus.
Hunc matres tenerae, hunc atque puellulae,
Hunc patresq; bonum inuocant.
Quid tam bella times Faustula? *patria*
Capta non raperis tua,
At pulchro iuueni traderis, i pudor
Tolle en flammea lumina.
Quid stas moesta? times Faustula? *consule*

Matres, hasq; iuuenculas,
Quæ norunt thalami gaudia, pignorum,
Necnon quantus amor uiri:
I matres pete, quid ſtas modo Fauſtula?
Tolle en flammea lumina,
Amplexum iuuenis neu time amabilem.
Hic eſt ille iocus placens,
Quem ſic concupiunt ludere uirgines,
Et quem ludere fœminæ.
Quid ſtas? tolle faces Fauſtula, abi pudor,
Tolle en flammea lumina:
Hunc expertá ſemel quum fueris iocum,
Delectabere ludere.
Atque ut tonſa comam bella per horrida
Perq; hoſteis ſequitur uirum:
Hic necnon Arabum mos mulieribus,
Sic ſectata uirum eſt bona:
Talem fœminæ habent Oebaliæ ordinem,
Ac tot millia millium:
Sic tu mellifluo ludere cum ioco
Noctes, atque dies petes
Amplexu iuuenem tam egregium. i pudor,
Tolle en flammea lumina.
Muti non ſubito prælia conſeras.
Haud rem cum ualido hoſte habes,
Sed cum lacteola uirgine, cui modo eſt
Tempus ſoluere zonulam.
Hæc nondum Veneris munia nouerat,

Nondum reddere ſcit uices.
Immatura iocis pectora mollibus
Sunt placanda uel oſculis.
Optat blanditias alma cupidinum,
Mater, uerbaq; dulcia.
Coniunctis animis furtaq; mutuis
Decerpi ſua amat Venus.
Ergo dum Iuuenes ludite, fortia
Iam non ſegnia pectora
Vult regina Paphi, ludite iam decet,
Da prolem proauuo duci
Franciſco ſimilem Fauſtula, Mutius
Non ultra uocitabitur
Sponſus, ſed pueri mox pater: inclytum
Franciſcum hic referat ducem.
Iam te cum puero, ceu Venus aurea
Ludit, cerno, Cupidine.
Hoc mandant ſuperi ludite, iam decet
Auctent Dij bona, ludite.

Finis Tertij Libri.



ANTONII CERRVTI NOVARIENsis Carminum. Liber quartus.

AD LIBRVM, QVO TEMPORE accedere debeat ad Guid. Vbaldum Vmbrorum Ducem.

Ode dicolos distrophos.



Vlte parũ properes ducis Vmbri ad tecta libelle
Ardua magnanimi:
Nil est quod timeas præstantia sensibus ipsa
Pectora Socraticis:
Ornatam ue domum spolijs, et plena trophæis
Atria nobilibus.
Ille est eximiæ uirtutis gloria, uatum
Præsidium, atque decus.
Arteis ille fouet ueteres, & poßidet: ultro est
Gratia cum simili:
Ingredere ardenti uultu alta palatia, uates
Vt decet ire probos:
Tempore non illo, quo regni intendere rebus
Assolet eximijs:
At dum lætitiæ uacat, & conuiuia magnus
Euius exhilarat.

Præcipue antiquis dum saturnalibus instant
  Seruus, hyems, genius.
Libertate licet grandi tunc omnibus uti,
  Quod lubet usque loqui.
Ille poetarum ritus bene nouit, & ille
  Principis officium.
Te leget. ista Iouis ueteris sunt iussa parentis
  Inuiolabilia.
Et si gratus eris, cedro & sint carmina digna,
  Præmia multa feres.
Pectine deposito ut magno cantare boatu
  Bella uiri incipias:
Aut si humeri ingenti succumbent pondere: plectro
  Clara trophœa canes.
Vade igitur propere, nec te uia longa fatiget:
  Spe labor eximitur.
Regibus eximij: omni uirtute decoris
  Est placuisse satis.
Ardua semper habet secum sua præmia uirtus:
  Ipsa sibi pretium est.

AD GVID. VBALDVM, POETAS non scribere ob principum auaritiam, & ignorationem.

Ode dicolos tetrastrophos.

CEssarunt proceres laudibus inclytis
Vates egregij tollere maximos,

Cessarant proceres pendere præmia
  Diuinis quia uatibus.
Nam quæ tunc poterant carmina condere?
  Si nulla acta duces splendida gesserant
  Lucrorum cupidi, turpis & otij,
  Tardæ, & mollis inertiæ.
Tanti causa mali est lurida principum
  Ignorantia; quæ nescia gloriæ,
  Virtutisq;, ruit per uetitum nefas,
  Post terga optima deserens.
Hinc artes ueteres, iustitia, æquitas,
  Et morum probitas, sanctaq; castitas,
  Leges, relligio, & munificentia,
  Norunt opprobrium pati.
Hinc reges odio ciuibus optimis
  Vxori, & famulis, denique filijs,
  Ignarisq; uiris, & sapientibus,
  Atque ipsis popularibus.
Quanto deterior principis inscij;
  Tanto nobilior uita erit optimi;
  Qui uirtute nitet, munificentia,
  Sanctis moribus, & fide.
Qui custos rigidus iustitiæ, Deum
  Cui cordi est pietas, qui populos regit
  Aequa lance suos: parcere, carpere,
  Qui scit tempore congruo.
Hunc Diuum ipsa fouet larga benignitas,
  Hunc ciues minimi, atque hunc proceres amant.

Matres cum pueris, cumq; uiris senes,
Hunc & turba leuis colit.
Hunc uates celebrant carmine nobili,
Et dant perpetuis res bene seculis
Gestas: huncq; pijs ordinibus Deûm
Aeterno calamo sacrant.
Quàm pulchrum est aliquo tempore non mori,
Aeuum omne ut uigeat fama perennior,
Et præstare simul clara nepotibus
Exemplaria posteris
Virtutum: ante tuus ceu pater inclytus
Fecit nobilium gloria principum,
Quem magni proceres, quem populi uocant
Præclarum Italiæ decus:
Cuius digna teri, iam generosius
Tu uestigia amas, & sequeris, nihil
Laudis præteriens quod decoret ducem
Heroa, ut superes patrem.
Virtus, quæ eximiæ est æmula gloriæ,
Claros alma duces semper honoribus
Aeternis properat uincere, splendidis
Intenditq; laboribus.
Ad se se hæc animos attrahit omnium
Gratos, eloquio, magnificentia,
Inuiti facta tua ut tollere laudibus
Cogantur super æthera.
Hæc me surripuit dicere eburneo
Plectro magnanimi fortia, & inclyta

Patris gesta, tuas postmodo nuptias,
Natalem quoque filij.
Solers nostra parum & si fuit hactenus
Laudes Musa tuas dicere: non tamen
Est oblita: tuba sed canet horrida
Si tu prælia iusseris.

DE FRAN. MARIAE VMBRORVM *ducis laudibus.*

Ode tricolos tetrastrophos.

IAm gesta regis magnanimi canam
Vmbrorum, & urbeis, & populos feros
Captosq́; , seruatosq́; : uestro
Pierides puero fauete.
Canenda quanquam hæc Mœonidæ tuba
Sint, aut Maronis, non fidibus, tamen
Cantabo: nam reges, Deosq́;
Pindarus hac cythara canebat.
Cuius labores secula plurima
Vixere clari, & lesbia barbitos,
Viuentq́; : iunctæ erunt Camœnæ
Atque modi faciles Horati.
Sic magna paruo carmine prosequar,
Martis cruenti prælia tristia,
Necesq́; semper lacrymandas
Matribus, & pueris tacebo.
Dicam triumphos, & spolia, & duces,

Summasq; rerum carpam, ut apes thymum
Legunt odoratum, unde stipent
Roscida mella, fauosq; fingant.
Prius uirilem quàm indueret togam,
Inter peritos est academicos
Versatus, artis militaris
Inter & egregios magistros.
Regno occupato à principe Hetruriæ,
Hic comparato milite contudit
Hosteis, & in statum priorem
Restituit sua regna uictor.
Sic hostium omnis concidit impetus,
Vt cedit auster, cum boreas furit;
Ac ceu rapaci aue aduolante
Præcipites fugiunt columbæ.
Virtus secundo læta negotio,
Ad illa semper quæ magis ardua
Festinat ultro: nec laborum
Pondere territa, nec periclis.
Heros eodem sanguine Iulius
Summus sacerdos uenit in optimam
Spem, posse barbaros fugare
Hoc duce ab Ausonia, insolenteis.
Cura omnis illi bellica creditur.
Regno relicto iussa capit citus,
Velut sagitta tenso ab arcu
Missa petit loca destinata.
Sensere Galli quid ualidæ manus

Et quid ualerent eximiæ ingeni
Dotes. Padusa infecta rubro
Sanguine, testis erit laborum.
Virtute freti. Antenoridæ ducis
Inuicti, & altis consilijs, grauem
Belli usque mandauere curam,
Atque sui populi salutem.
Sic grande obiuit munus, ut horridis
Atrum pauorem incusserit hostibus,
Illosq; propulsarit, ampla
Dijs patrijs referens trophæa.
Gallusq;, Iberusq;, & populi feræ
Germaniæ experti egregiæ ducis
Possent quid artes, in suorum
Perniciem, exitiumq; triste.
Ornata magnis diuitijs, uiris,
Honoreq; urbs Neptunia, tam duce
Claro autumauit hinc superbo
Imperio Italiæ potiri.
Non, qui subacta nomen ab Africa
Est assecutus tempore floridæ
Primo iuuentæ, gessit acta
Splendidiora toga, uel armis.
Marcellus egit quæ impiger, & senex,
Cunctando qui rem restituit sagax,
Illa iste, seu eludat mora hosteis,
Prælia siue ineat cruenta:
Sed nec regendi cura fuit minor.

Sublime regnum legibus integris,
Et moribus sanctis, probrosis
A populo maculis repulsis,
Inde euocatis artibus optimis,
Pax orta dulcis, iustitia, & fides,
Torique castitas iugalis,
Et pietas reuocata Diuûm.
Post se luporum ne rabies trucum
Sæuiret ipsos acriter in greges,
Virtutis æmulum paternæ
In solio genitum locauit
Regali: & omnis credita patrij
Est cura regni. Vos, quibus imperat
Vbaldus heros, ter beati
Et quater estis, & ultra, & ultra.

GVI. VBALDI VRBINI DVCIS
et Victoriæ Franesiæ Epithal: præfatio.

Ode dicolos distrophos.

REgum queis nuptias
Possum muneribus Melpomene inclytas
Ornare Aeolio nisi
Fretus uestra opera, carmine? lucidas
Gemmas dant alij, illitasque
Auro, & purpureo sanguine muricis
Vesteis: Palladia manu
Pictas, pontificum donaque principum.

Non uis est mihi talium,
Sed uersus potior sum dare, secula
Qui uiuent. age barbite
Doctas tende fides, omine cum bono
Felices cane nuptias
Heroum egregijs tolleq; honoribus.

EPITHALAMIVM.

Ode Monocolos.

O Quæ regna Cypri tenes beata,
Gnidum, Dyrrhachium, Cytheraq; alta,
Adsis Diua sacris tori iugalis,
Succinctus pharetra Cupido, & arcu.
Tecum, & Nereidum chori canentes
Margaritiferis super natantes
Conchis adueniant; simul decentes
Huc Nymphæ properent caput reuinctæ
Vel nigris uiolis, amaracoq;
Molli, uel niueis, rosa, ligustris,
Sertis, purpureo colore Adonis
Tuæ deliciæ, tuiq; amores
Intexetur: eritq; fronte mœsta
His Apollineus puer reuinctus.
At uos aufugitote curæ edaces:
Et Martis gladium tegant minaces
Vaginæ: haud resonent tubæ per æthram,
Audaceis animos uirum cientes

Dura in prælia, luridamq; mortem.
Abite hinc procul arma luctuosa,
Abite, & Veneri locum datote.
Almæ est lætitiæ dies dicata,
Et dulci genio, iocisq;, ludisq;,
Heroes populisq; misceantur.
Nunc psallant pueri, uiri, senesq;,
Pellentes pedibus solum citatis.
Natura en uariat uices benignas.
Et tellus uario nitet colore.
Tecta floribus inde uestiuntur;
Qui paßim redolent sabeum odorem,
Qualem aut Aßyrij, aut Arabs odorant.
Cessarunt pluuiæ, & noti furentes,
Et fulgur tonitru Iouis corusco.
Iam regnant zephyri, leues & auræ.
Phœbus dat radios supernitenteis.
Teguntur iuga montium rosetis;
Et fontes facili strepunt susurro.
Spirant cynnama, balsamumq; syluæ.
Rident omnia, concinunt canoræ
Aues dulce melosq;, & æthera implent.
Veni pulchra Venus, ueni, beatas
Sedeis Idalij sacri relinquens:
Reginam, & dominam urbium potentem
Romam, Dardanidum, genusq; Martis:
Vbi illa, illa tua elegans puella
Regum progenies, Iouisq; summi,

Adsunt cui Carites bonæ obsequentes,
Pro qua iudicium Paris referret:
Ignitis facibus tuis, nec ullis
Deuicta est pueri trucis sagittis:
Vt Victoria dicier soleret
Victrix una tui, tuosq; amores
Aspernarier, & torum iugalem:
Tantum uirgineo decore freta.
At nunc uicta manet Ioue approbante,
Imo concilio Deûm iubente.
Iungatur thalamo ducis potentis:
Qui heroum soboles, origo regum
Insignis proauûm, toga, uel armis,
Opimis spolijsq;, uel trophæis
Claris, magnanimi sui parentis,
Et factis proprijs satis superbus:
Quorum si referam inclytos triumphos,
Ars me defficiet, diesq; longa.
Quare Diua potens super iugandis
Viris, uirginibusq;, dulcem amorem
Inspires teneris precor medullis,
Et uinclis animos liges ahenis,
Nunquam discupiant ut inde solui.
Ad munus uenias tuum iugale
Ante omneis Hymenæe nuptiarum
Deus, ferte faces adest uocatus,
Et faustus Deus ille nuptialis:
Qui iungit teneras uiris puellas,

Qui iungit teneros uiros puellis.
O quæ gloria parta, qui triumphi
Surgunt Idaliæ, Cupidiniq;.
Sed Victoria maior est paranda
Guidubalde tibi, satisq; pulchra.
Reges quam hactenus assequi minaces,
Nec duces potuere præpotentes.
Quum Victoria sit tuum superba
Vexillum subitura; ut inde uictor
Sis Victoriæ, & ipsa deinde uictrix
Victoris: fuerit quis usque uictor
In certamine, uos scictis ipsi.
Quum pendent Hymenæe ab hoste raptæ
Dulceis exuuiæ tibi dicandæ,
Grata dona: faces uiri comantes.
Ferte, dehinc pateram auream Lyæo
Spumantem. noua nupta uirgo prodi,
Virgo exi noua nupta; quid moraris?
Prodi uirgo decens, uocari & ultra
Virgo desine, dicierq; sponsa
Debes, mox mulier pudica, paulo
Post matrona decens, potens uirago.
Heroas paritura, maximosq;
Reges, qui Ausoniam regent frementem
Armis. iam uenias decora uirgo,
Iam matura uiro, uirum capessas.
Quid Victoria lucidos ocellos
Turbas, coniugium & uirum perhorrens?

O si

O si connubij bona ipsa nosses,
Non te difficilem dares marito.
Sacrum est connubium Ioue à supremo.
Disiunctos homines amore iungit.
Menteis conciliat simul superbas.
Fœcundat sobole & domos amata.
Vrbeis ciuibus optimisq; replet.
Et tandem renouat genus caducum
Humanum, sine quo breui periret.
Aeuo, ô connubium sacrum beatum.
O Victoria quàm potes beata
Dici, quando pari uiro es iugata.
Pari sanguine, moribus, iuuenta,
Cernis quàm roseo nitescat ore?
Præstantiq; animo sit, atque lato
Surgat pectore, fronte cum serena?
Hæc sunt signa uiri satis potentis,
Ingentisq; animi, & satis scientis.
Attolle ergo oculos faces uomenteis,
Ardenteis oculos, amoris igneis.
At tu, qui solitus uiros feroceis
Duro uincere Marte, quid tepescis,
Spectando faciem Deæ superbam?
Non hæc torua Medusa, quæ intuenteis
Vertat in lapides proterua duros:
At uirgo ingenua, & decens, benigna:
Quanquam sæuiat unguibus tenellis,
Illam comminus aggredi haud timeto.

Vult cogi mulier, licet peroptet,
Magnæ ad munia Cypriæ cupita.
Armant purpureas rosas rubeta.
Necnon mella fauis latent sub ipsis.
Et tamen rapimus modo has, modo illa.
Decerpta hinc Veneris magis iuuare
Solent gaudia iurgia inter ipsa.
Concordeis animos amat, rebelleis
Odit alma Venus, iubetq; cædi.
Pacato (ut uideo) est puella uultu.
Se amplexus dabit in tuos, & ultro
Hæc te te excipiet suas in ulnas.
Dulci languidulos amore amanteis
Quid ultra moror? & quid ultra amatos
Amplexus traho? suauianda & ora?
Sponsi ludite dum licet, iuuentamq;
Exercete bonam, fugaxq; tempus
Perpulchra reparate prole: lapsa
Non potest redimi uolucris hora.

FRAN. MARIAE GVI. VBAL. VRbini ducis filij Genethliacon.

Ode dicolos distrophos.

O Magni soboles Iouis
Præclara Aonides, seu gelidum nemus,
Seu fonteis liquidos, caua
Siue antra incolitis: sumite eburneum

Plectrum cum cythara, & lyra.
Iam maiora decet carmina fingere.
Vmbrorum puerum ducis
Nascentem canimus, progeniem inclytam
Heroum, atque Deum genus.
Quem syluæ uirides, quem iuga montium,
Quem fontes uitrei sonant.
Et cui syluicolæ laurea uirgines
Texunt serta, parant equos
Et currus fabricant Ausoniæ aureos
Victores proceres duci.
Nam parcæ stabili numine sanciunt
Fatorum, hoc puero duce
Res quassas reparari Hesperiæ, hostibus
Propulsis capitalibus
E' clauso Italiæ limine nobilis.
Hunc & barbariem efferam
E' nostris referunt pellere finibus.
Et direpta reponere
Dudum signa sacris postibus hostica.
Ante hunc Sarmatici uagi
Curuabunt genua, & dira Britania,
Necnon aspera Dacia, &
Desertæ Lybiæ littora arentia,
Edicta accipient pia:
Et leges latias Oceanus pater
Condiscet, licet ambiat
Terram omnem, & uideat tum morientia

Tum nascentia lumina
Phœbi, & solis equos lauit aquis suis.
Hic felicia secula
Saturni ueteris condet, hic impia
Arcebit scelera, & graueis
Culpas, & nocui quicquid erit, procul
Pellet: dira necessitas,
Quæ inuitos homineis cogit ad improba,
Non ultra dominabitur
Terris; sed repetet regna Proserpinæ.
Hæc nocte, atque Herebo est sata,
Hæc morbi, hæcq; mali totius est caput.
Cessabit furor impius,
Cessabitq; simul cæca cupiditas
Auri. tunc proprij nihil,
Sed communia erunt omnia, ceu fuit
Illo tempore amabili,
Quo uixere patres glandibus, atque aquis.
Iam iam sponte sua uberes
Fruges terra dabit, nec rabidos lupos
Imbelles metuent oues.
Stabitq; uua rubens sentibus asperis.
Sudabunt quoque montibus
Quercus aeriæ mella liquentia.
Et fragrantia cynnama
Tunc nascentur ubi uepribus est locus.
Nanque omnis dabit omnia
Nostris corporibus terra salubria.

Quiuis ducet in otio
Grato uitam hilarem, quæ quis amauerit
A Dijs illa feret bona.
Pura mente colemus pia numina, &
Frequentare uidebimus
Terras tunc superos, tuncq; homines Deis
Aeternis similes erunt.
O felix genitrix, quæ puerum edidit
Qualem uel Rhea*, uel* Thetis*,*
Vxor *ue* Aemathij *regis* Olympia*.*
Paßim aras Itali *tibi*
Ponent thuricremas deposito iugo,
Persoluent quoque maxima
Dijs saluâ patriâ uota potentibus.
Aris uictima concidet
Pinguis quaque die cornibus aureis
Pro te, pro incolumi uiro,
Qui authores meriti tam memorabilis,
Aeuo nulla quod eximet
Aetas. magne puer, cura Deûm *recens,*
Spes fractæ Italiæ *haud leuis,*
Circunda teneræ brachia lacteo
Collo matris eburneâ,
Nondum uerba sciens integra, porrigas
Ad patrem teneras manus
Ornandas spolijs, dulceq; rideas.
At cum firma adoleuerit
Aetas, tunc patrijs legibus Imperi

Sacri extendere terminos
  Late conspiciam te auspicijs aui.
Et tunc aurea secula.
  Hæc præstent utinam Dij mihi cernere,
Et dulci posita lyra
  Cantare ære cauo fortia prælia:
Heroasq; atauos tuos
  Reges indomitos, belligeros duces.

AD PAVLVM. III. PONTIFICEM Maximum.

Ode tricolos tetrastrophos.

CAnant Maronis doctiloqui tuba
  Quæ marte duro prælia gesseris
  Dulci piorum pro salute,
  Et pietate Deûm tuenda,
Vates, canoro & pectine concinant
  Diros tyrannos, & populos truces,
  Necnon rebelleis, dum profana
  Arma mouent patriæ in parentem.
Et hos subactos imperio tuo,
  Ceruice flexa tendere supplices
  Dextras triumphaleis cathenis
  Paule tuos decorare currus.
Atque ut proterui fluctibus æquoris
  Stridentibus sæuis aquilonibus,
  Incommodis terræ, unde regum

Concilies animos feroceis:
Committis artus iam senio graueis
Fractosq; ab annis, pace pium ut genus
Dones amata, atque expetita,
Res italas reparando quassas.
Miramur at nos fertilioribus
Agros feraceis meßibus, humido
Viteis lyæo uberrimas,
Principe te dominante terris.
Miramur urbem redditam honoribus,
Surgentem & altis molibus, optimis
Et legibus, culpis remotis,
Moribus egregijsq; cultam.
Miramur huius sedis & imperi,
Diffundit almus sol ubi lumina,
Prolatam, & auctam dignitatem
Dum rabidos cohibes tyrannos.

AD EVNDEM IN THVSCIA hybernantem.

Ode dicolos distrophos.

HEroum genus inclytum
Diuûm Paule uices qui superum geris,
Et custos gregis, & pater
Electi, miseris urbs tua questibus
Plena est, clara abijt dies,
Et nos cæca operit nox, tenebræ et graueis

Terrent, & gelidæ niues
 Densatæ liquido ex æthere decidunt.
Iratus quoque Iuppiter
 Demittit pluuias, fulgura, grandines,
Vt nos obsideant. ferè
 Intra claustra domus, & penetralia.
Ceu si mœnia scanderet
 Hostis sollicita est Romula ciuitas.
Ars, & iam uacat artifex.
 Nil uenale patet, clausaq; mercium
Extant emporia undique.
 Spectando mulier nec speculæ insidet
Compta, amens nec amans terit
 Limen sollicitus, nec noua uestium
Fert insignia stans equo
 Cultus. edseruit regna Quiritum
Mater pulchra cupidinum,
 Mordaceisq; animi sollicitudines
Liquit. semper hyems erit,
 Et nimbi, & glacies, & pluuiæ, & niues.
Donec uer rediens nouum
 Et pulchrum referas, gratus & ordini
Patrum purpureo, & tuo
 Optatus populo, Dijsq; penatibus.

IN REDITV EIVSDEM.

Ode dicolos distrophos.

Qvid hæc sibi uult lux serena & candida?
Quid crine Phœbus aureo,
Morem ut suum præter nitescat purius?
Frigus, niues, nimbi, gelu
Repente diffugere, præcepsq; africus,
Glebæ liquescunt & putres,
Gratæ o uicißitudines, fauonio
Vt cedat auster turbidus;
Et ueri hyemis, ceu fusca nox cedit die.
Modos canit dulceis auis.
Pulchro renidet flore tellus, undique
Syluæ, uirentq; palmites.
Pandæ carinæ iam secant stratum mare,
Armenta amore gestiunt.
Mœrebat ante Roma, nunc uero iocis,
Ludo, & uacat conuiuijs.
Paßim puellarum chori laudes canunt,
Quatiunt uago terram pede.
Est tota læta, tota culta, nil nisi
Regnat iocosum, suaueq;.
O quàm uices amabiles. an quis polo
Descendit ab alto Deus?
Aut reddidit se Paulus urbi Romulæ,
Imo suæ? nam erat prius
Oppressa clade, funere, & dira fame,

Eratq; in armis ius potens.
Nunc pax, opes, artes uigent, & æqua lex,
Vrbs molibusq; tollitur.
Is est profecto, is est. Deorum salue bonos
Genusq;, cum bona alite.
Adsis tuo optatus gregi pastor, diu
Qui te fruatur, & diu
Cernat regentem, perq; multa secula
Post te tuam propaginem.
Apponat aris thura, pingueis uictimas,
Fundatq; supplex urbs preces.
O candidam lucem, ô diem faustum
Quod munus ipse nunc Ioui
Afferre, quas & gratias persoluere
Paulo queam superstite?
Non sunt oues, non sunt iuuenci cornibus
Mihi aureis. sed i puer
Vates meos uocato amicos candidos,
Vigilem patrem sacri chori,
Manutium, atque Arsillium, & Palonium
Molsam, Iouitam, Borgiam,
Et Blosium, ac Fascitellium optimos,
Cum Flaminio, & Cruceio, ut
Lætemur. hymnos sed prius Diuis bonis
Canamus, & Paulo patri.
Hinc & sororum nouem, & numerum Deûm
Bibamus uncti, alium alius
Inuitet, & bibat, canat, bibat, canat

Et tanta ſit potatio,
Siccatus ut demum cadus detur uagis
Flammis, et uſum dupplicem
Potationis, atque lætitiæ afferat,
Quouſque lucem craſtinam e=
Vocemus Oceano, nec hac beatior
Sit ulla nox, nec ſit dies:
Qua reddidere ſoſpitem ſuperi boni
Paulum parentem patriæ.

AD EVNDEM IN MORTE CARO-
li Montani ſibi à poculis.

Ode dicolos tetraſtrophos.

VEſtem Paule potens indue lugubrem,
Flos ille heu iuuenum decidit, artium
Ille optimus cultor bonarum,
Elyſios adijtq́; campos.
Humanis poterit conditionibus
Quis nunc fidere? quum iuſtitia, & fides,
Aurumq́;, & magiſtratus ſuperbi,
Non fugientem animam retardent.
Quin ſubſint rapidis legibus horridæ
Mortis quæque uigent ſub Ioue. certius
Eſt morte nil, incertiusq́;
Illius eſt die, & hora acerba.
Hæ uentis leuibus ſunt querimoniæ,
Et lex perpetuo hæc irreuocabilis,

Ciuis beatûm hic gaudet arte,
Ebibit æthereumq; nectar.
Stamen, parca uago quod pecori abstulit,
Pastori id uigili prouida contulit,
Tundat luporum qui ora, quiq; ad
Pascua læta greges reducat.

AD GVI: VBAL: IN MORTE Fran: Mar: Vmbrorum ducis.

Ode tricolos tetrastrophos.

MAgni parentis principis umbriæ
Vbalde mortem flendo rigas genas
Fletu purpureas, polumq; mœstis
Imples questibus igneum.
Quæ fata uoluunt corrigere est nefas.
Fatale rumpit quum semel Atropos
Stamen, nox tibi prô una dormienda,
Seu rex, seu fueris cliens.
Cocyti ubi atrum portitor horridus
Transuexit amnem nos, querimonijs
Nullis, nec pretio precantis ullo,
Diris flectitur aut minis.
Beatus arces poßidet igneas
Manu solutus spiritus impia
Parcarum, fruiturq; pace Diuûm,
Quærit quam sapiens sibi.
Quidlumina urges? funere nascitur

Vitæ integer uir, iustitia, & fides
Cui semper comites, potensq; uirtus,
Quem fecit superis parem.
Mauortis an quem lucida gloria
Illustrat, amplæq; exuuiæ ducum,
Tot regumq; potentium triumphi
Ornant, posse mori putas?
Occurret umbræ Scipio, & inclytus
Marcellus, occurret Fabius grauis
Cunctator, medium uirum tenebunt
Inuictum hunc pede, & hunc equo.
Vexare noli ergo cineres sacros.
Inter beatos spiritus ordines
Viuit, perpetuoq; uiuet eius,
Vatum munere, gloria.

AD FEDERICVM BADOERVM.

Ode monocolos.

O Magno patre Badoare maior,
Maiorem licet hæc tuo parente
Vrbs non progenerarit alma, siue
Damnatis capite is patrocinetur,
Seu claßi imperitet, ferocibusq;
Equis, & peditum feris cateruis,
Siue rem bene publicam gubernet:
Seu sit regibus inclytis disertus
Orator, Federice maior ipso

Es tamen patre, cuius usque laudes
Tentent dicere si meæ camœnæ,
Diem nox adimet mihi atra longum.
Esset copia si mihi illa fandi
Virtutes super æthera alta notas
Efferrem unde tuas, tuosq; honores,
Maior Virgilio, bonoq; Homero
Essem, omneis superarem, & arte Graios,
Et cultu Latios pios poetas.
Quando ergo minor omnibus poetis
Sum, & tu maior es omnibus disertis
Viris uersu humili moror quid ultra
Laudes egregias tuas canendo?
Illas quin potius tibi relinquo.
Quo non quis melius potest futurum
In æuum dare iam perenniore
Penna. scribe igitur tuos honores
Scribendo eximios auos, & urbis
Laudes. nam uoluisse mi satis sit,
Et tentasse quod ante nullus ausit.

AD VICTORIAM FARNESIAM Vmbrorum reginam in morte Pauli Pont: Max.

Ode dicolos tetrastrophos.

Diuinam ingenij ni sapientiam
Præclari, egregias atque animi tui

Dotes, quæ regerent imperium omnium
Terrarum, bene noſcerem:
Non audax adeo, nec temerarius
Nunc eſſem tenui carmine, uel lyra
Molli, pectora concuſſa doloribus
Pauli in Pontificis nece,
Solari ut cuperem: ipſa inuiolabile,
Quum fatum eſſe ſcias, tempore ut occidat
Ortum quicquid erit. lex proprio fuit
Et dulci aſpera filio.
Non parcit ſenibus parca trementibus,
Non pulchro iuueni, nec ualido uiro,
Non hæc diuitibus, non ſapientibus,
Aequat falce ſed omnia.
Hoc unum ſupereſt, quod bene geßimus:
Hoc fato minime ſubiacet horrido:
Supremoq; oritur clarius in rogo:
Mors uita ut melior ſatis.
Nam ſi facta pium clara beant uirum,
Aeternantq;, potes credere firmiter
Pauli facta dies inclyta uiuere
Omneis, non ſine honoribus.
Ergo quòd doleas morte, erit impium,
Magni herois aui, quum fuerit Deus
Ex mortali homine effectus, & ordini
Aſcitus ſuperum pio.
Lætemur potius. nectare ueſcitur
Nec non Ambroſia cum Ioue ſpiritus,

Terræ quod fuerat reddidit, ætheri
Gestorum bene gloriam.

AD FORTVNAM.

Ode monocolos.

O Desyderio meo rebellis
Fortuna, egregijs uiris nouerca,
Probrosisq; parens nimis benigna.
Deberes saturasse dira tandem
Tuum atrocem animum, ense, morte, flamma.
Vmbrorum paro nuptiale carmen
Dum regi dare, prò scelus nefandum,
Mortem affers soceri illius cruentam.
Nascentem puerum ut cano, iacentis
Spem summam Italiæ, optimum eheu
Pastorem gregis abstulisti, & orbam
Christi progeniem bono parente
Fecisti, unde pecus uagatur, errat,
A lupo & laniarier ueretur.
Sperabam saturam esse tot te acerbis
Tandem casibus: inclytos honores
Et laudes ducis Vmbriæ legendos
Ioanni attuleram uiro diserto
Lonardo ad Venetos uices gerenti
Vbaldi. hunc superat loquendo nullus
Græco atque Ausonio ore, seu gubernet
Feroces populos, gerat ue curam

Morum,

Morum, siue acies regat minaces.
Tectis aereæ domus uoracem
Das flammam, unde aliò coactus ire
Fui, re bene non mea peracta.
Nunc finem imposuisse te labori
Sperabo, omnia quando purgat ignis.
Ah uenefica iam mihi nouerca
Esse desine, sis parens benigna,
Bonis incipias uiris fauere.
Reginam uocitabo te, Deamq;,
Te matrem esse piam omnium bonorum,
Altricem usque canam esse gratiarum.
Atque aras onerabo sæpe donis
Templo è marmoribus tuo in superbo.

AD PETRVM ARETINVM.

Ode dicolos distrophos.

DIspeream Arretine pater, ni plurimus ori
Cachinnus est meo indecens:
Audio dum quosdam de te non recta loquentes,
Vt obloquentes garriant.
Hic artẽ, ille stylum, incusat, quidam aspera uerba,
Mordacitatem plurimi.
Magnanimosq; duces damnant, regesq; potenteis,

Lardum, atque pisceis contegunt.
Et tua scripta uident uolitare per ora diserta,
Ornari & amplis præmijs.
Aut sapiunt soli, aut soli mente laborant
Leui, minoresq; capitis.
Quem probat inuictus Cæsar, nec munera desunt
Regum, ducum, atque ciuium:
Damnabunt isti balatrones, turba canina,
Ieiuna, inops, famelica?
Si sine iudicio sumus omnes, optimus ille
Rex Vmbriæ multum sapit:
Qui te magnificis donis exornat, amicum
Appellat intimum, optimum:
Vrbs quoque te Venetum tenet, & defendit ab acri
Morsu Leonum fortium.
Iure igitur nostro multum ori risus abundat,
Et rideo horum inscitiam.
At tu permittas pecudes balare: rudentis
Vocemq; Aselli obaudias.
Lætus uiue igitur, uitiorum acerrimus hostis,
Virtutum amicus optimus.

AD LAZARVM BONAMICVM LIBER

Ode tricolos tetrastrophos.

ACcessi ad tripodas Lazare Apollinis
Querens cui melius me modo crederem,
Qui detergeret à me
(Si quæ essent) maculas putres

Antrum concutiens sparsa comam exijt
  Vates, hæc referens, ad bonum amicum adi.
  Nil ultra orsa Sacerdos,
  Accepit se in penetralia.
Omneis absque mora quærito, qui mihi
  Coniuncti fuerant uinculo amicitiæ:
  Et quos fama probarat
  Doctos Italico in solo.
Vna omnes iterum uoce ad Apollinem
  Me mittunt. adeo, sciscitor: illa ea
  Dixit uerba Sacerdos.
  Dixi, adij: addidit,
Bassanum Bonamicum i pete Lazarum,
  Is Graiûm, & Latiorum facile omnium
  Est doctißimus, unum
  Illum Delius eligit.
Vates subticuit: iam bone Lazare
  Edoctus uenio magno ab Apolline
  Ad te, ut iussa capellas
  Fulgentis Lytiæ Dei.
Si quo sim genitus uis patre noscere,
  Cerrutus pater est, littora uitrei
  Ad Ticini oriundus
  Sum, is nomen dedit oppido.
Verbanusq; lacus desinit esse ibi,

Sunt glebæ nitidis frugibus uberes,
Montes uitibus apti.
Fontes undique defluunt.
Venanti pariter non melior locus,
Sed nec crede mihi est aucupio aptior.
Plenæ & piscibus undæ.
Tali in me genuit loco.
Sunt alij comites, parturijt cauo
Quos ære, at retinet compede ne exeant.
Me dulci è cythara ortum
In lucem dare cogitat.
Dignum luce igitur Lazare duxeris
Si me, quum legere absolueris, approbes:
Sin quæ digna lituris
Tetris inuenis, oblinas.

AD OCTAVIVM FARNESIVM DVcem in restitutione Parmæ.

Ode tricolos tetrastrophos.

NOn semper atris æquora fluctibus
Vexant procellosi Africus, & Notus,
Eurusq; proceras nec ornos
Ira trucis Boreæ reuellit.
Fortuna semper lumine turbido
Nec intuetur, nec premit optimos,
Sed sæpe, quos calcarat ante,
Erigit ad proprios honores.
Peiora quanto damna tibi intulit,

Maiora tanto munera congeret;
Soletq; semper post tenebras
Clarior inde dies redire.
Dudum improborum dira malignitas
Te oppreßit, ac nunc larga benignitas
Iuli resulsit, atque Parmæ
Restituit solium superbæ.
O clara Virtus Pontificis probi,
Qui regna nouit reddere regibus
Magnis. rependant dij superna
Præmia, Nestoreos & annos.
Fuere nunquam hæc in dubio mihi
Amplam intuenti munificentiam
Heroi Iuli Dijs ab altis
Progeniti ad populi salutem.
Quid stas, opimas quin properes dapes?
Quin uina fundis dulcia, iam puer,
Vsque ut bibamus usque, & usque,
Lætitia est hodie orta dupplex.
In monte fulgens gloria splenduit,
Vrbs restituta est Farnesio Duci.
Iò canendum, Iò canendum.
Lætitia est hodie orta duplex.
Dijs uota magnis soluere conuenit,
Et gratiarum est actio Iulio
Reddenda maximo optimoq;.

AD MVSAM, VT FINEM FACIAT, *& receptui canat.*

Ode tricolos *tetrastrophos.*

Lusisti nimium Musa: receptui,
Est tempus, properanter cane. principum
Purgatas uaga tundit
Aureis saepe licentia.
Fraenum aptatur equis Musa ferocibus,
Ignauis stimulus, fraenet ut impigru, m
Cursu, accendat inertem, at
Virtus in medio sedet.
In rebus modus est: qui bene nouerit
Illum, nec refugit sistere terminos
Intra arctos animum, Dijs
Est me iudice proximus.
Laudabo melius, qui mediocribus
Vult uti imperijs, tendere turgida
Quàm qui lintea uentis,
Quae tardare uolens nequit.
Libertas mediocris placet omnibus,
Et praetura uiros indicat optimos,
Et praetura malignos,
Qui sis te, officium probat.
Possem plura loqui, quae didici antea
A te, sed uereor ne modo corrigas
Praecepti immemorem. ergo
Cantes musa receptui.

FINIS.

Errata quædam, non magni tamen momenti, ita corrige.

dives erat, dona pag.1. tristitiã, & metum: 2. celebrem loca 2: amicũ, te 3: erit, atque 3: muneribus, bonis 4. incolitis, seu 4. Arabas, limina 4: questibus 5. occupet, 5. seruos sui 5: Lycambis uncta 6. domarit, 6. Cõtentus: omni 6. naque. Nãque 6. carentem. 7. Iræ, monẽt 9. Mox quoque 10. lauro, uiridi'ue 10. limina, munia 11: In somnis 11: Summi. quis 12: Romanæ. 14: hæc Faber 14: salus foueatur 18: alto. 18: parua hæc. 18: illico? 18: omnis amaror, 18: iacens, 19. sobole, 20: Adde quod 21. culte: 24: oceano in uago 24: Camille, 25. omnibus par esse 25. humillimas. 27. Bona te Vẽtura 27: gnatus, 27: Dux cõtudit 27: nutrijt, 29. retusa, 29. æquora Sæuis 34: tela? 35. silent. 35: Matris rapta, 35: perdat necans 36. Nomẽ sinamus 36: profundos 37. durum. 37. pueros cumq; 38: dissipat, 39. traxeras, 39. cõsulas? 39: mali, 39: referas: 39: Audite 39: superbi composuereq; 40. imperium in 45: ministris. 46. cedere 48: preces. 48: uelut percupido 49. priorem deuouet 52: Gratis ut 54. iuuat studium, 55: Celsa dum nimiũ 56. undis. 56. patientia Magnus 56: ultro. Quanquã 57. duro, 57. quisque quis sit,

nio. 72.*quærit*,73: Masæ 74. Cedat 75. *Lætus* 75: *uixero* 77: *dies*.77: *Insubrium*, 78: *Domini é stemmate* 79. *quies*, 80. *ante diem* 80. *Paulum*, 80: *creditur*, 81. *honoribus*, 81. *decet*: 82: *sanctaq;* 84. Aeolio, 86: Heroum, 87. Aeuo.ò 89. *iugata*, 89. *iuuenta*. 89. *hostica*, 90. *feroces*, 92. *cultus*. *deseruit* 92: *faustum*, 93: *uirtus* Quem 95. *uiris*, 95:

FINIS.

